M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

AD

QUINTUM FRATREM

LIBRI III.

RECOGNOVIT, SELECTAM LECTIONUM VARIETATEM ADIECIT ET PERPETUA ADNOTATIONE SCHOLARUM IN USUM ILLUSTRAVIT

I. HOFFA,

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET IN ACADEMIA MARBURGENSI PHILOLOGIAM PRIVATIM DOCENS.

HEIDELBERGAE APUD I. C. B. MOHR.

MDCCCXLIII.

PRAEFATIO.

Ciceronis epistolas quum reliquas tum quas ad Quintum fratrem scripsit dignissimas esse, quae ab adolescentibus humanitatis studiosis atque in linguae latinae scientia aliquantum provectis diligenter accurateque tractentur, iam inter antiquos constabat. *Fronto*, doctissimus Romanorum grammaticus et rhetor *): „Omnes Ciceronis epistolas“, inquit, „legendas censeo, mea sententia vel magis quam omnes eius orationes. Epistolis Ciceronis nihil est perfectius.“ Neque hoc mirum, quum in hisce adeo multiplex variusque sit Tullius, quo e tota antiquitate nemo melius rebus accommodare elocutionem, elocutioni numeros et splendidam illam dicendi copiam scivit, ut, dum vividam morum suae aetatis imaginem exhibet, historiaeque partem, tam rerum magnitudine quam conversione reipublicae Romanae maxime memorabilem, quasi aliud agens enarrat, simul perfectum scribendarum epi-

*) V. Ep. ad M. Antonin. Augustum l. 2. ep. 5. Cf. etiam C. Nep. Att. 16, §. 3: quae (epistolarum volumina) qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Plin. epist. 9, 2.

stolarum exemplum proposuerit. Quod quum omnino de Ciceronis epistolis valet, tum maxime de praestantissima illa prima ad Quintum fratrem dici potest, qua rationem provinciae regendae huic prolixe demonstrans tantum omnium, quae ad rei publicae administrationem spectant, rerum se tenuisse usum probat, tantaque sententiarum gravitate elucet, ut omnibus civitatum rectoribus sapientissimam gubernandi normam eum tradidisse uno ore praedicent. Neque minus haec epistola eximia morum praecepta sanctissimamque Ciceronis in eum populum, cui praeclaram ingenii sui culturam acceptam referebat, pietatem, tantam porro rerum hominumque diiudicandorum peritiam ostendit, tamque luculenta oratione scripta est, ut sui generis exemplar re vera possit existimari. Denique eam tanquam monumentum animi vere fraterni admiramur, quippe in qua dilectissimi fratris sui vitia virtutibus, quibus excelluit, compensare minuereque studeret. Reliquae autem Marci ad Quintum fratrem epistolae ita sunt comparatae, ut fieri non possit quin erectioris animi iuvenes ex earum lectione magnam non solum utilitatem, sed etiam voluptatem capiant. Quis enim est, quem rerum in iis narratarum dilucida series, sincera et a fuco fallaciisque remotissima fratris cum fratre colloquia de rei publicae conditione, de rebus utriusque privatis, non vehementer moveant et delectent? Neque vero in has epistolas cadunt virorum doctorum dubitationes, ob quas Ciceronis epistolas adoles-

centulis omnino non esse legendas censuerunt; namque ab astutia, perfidia omnique simulatione quum sint alienae, plurimum contra valent ad veros animi Marci sensus penitus cognoscendos, atque praeterea haud pauca ad mores formandos, ad rerum humanarum ac vitae conditiones perspiciendas recteque aestimandas, ad ingenium alendum acuendumque salutaria subministrant. Mirum igitur videri possit, quî factum sit ut hae epistolae rarissime a reliquis seiunctae ederentur explicarenturque. Verum enim vero neminem fere latere puto, sicuti in reliquis disciplinae iuvenilis partibus, ita in tractandis etiam legendisque veterum scriptoribus haud semper eos libros a praeceptoribus scholarumque praefectis appeti commendarique, immo saepe praetermitti ac negligi, ex quorum tractatione summum aetas iuvenilis caperet fructum.

Quare quum animadverteremus, separatam notisque illustratam omnium ad Quintum epistolarum editionem recentiori tempore in lucem non prodiisse, clarissimus vero professor *C. F. Hermannus* talem desiderari nos moneret auctorque nobis esset, ut ad eas scholarum in usum explanandas operam nostram conferremus, eo libentius hunc laborem aggressi sumus, quod sic sperare licet, fore ut plures ad earum lectionem excitentur.

Iam in adornanda harum epistolarum editione rationem consiliumque fere idem, quod in libro Q. Ciceronis de petitione Consulatus paucos ante annos (1837) a nobis vulgato virisque solida doctrina

instructis atque rei scholasticae peritis publice comprobato, secuti sumus.

Contextum secundum optimam, quae exstat, *Orellii* recensionem typis quidem exscribendum curavimus; verum sicubi nostra aliter ferebat sententia, id allatis simul aliorum, uti *Manutii, Ernestii, Schützii, Lünemanni, Bentivoglii,* quorum editiones praesto nobis erant, coniecturis emendationibusque accurate in adnotatione monuimus. In indicanda lectionum varietate, qua diiudicanda ingenii vires cum maxime exerceri confirmarique decet, ne lectores iuvenes nimia mole obruantur aut a critica exercenda plane absterreantur, ita versati sumus, ut non omnes, sed potiores tantum reciperemus; quaeque ex hisce nostro iudicio verissimae viderentur, paucis plerumque verbis, interdum adiectis etiam rationibus observaremus. Locos dubios corruptosve ita quidem dare placuit, uti apud *Orellium* leguntur, quo veram fortasse ex illis eliciendi lectionem hosve sanandi periculum facturis certum haud deesset fundamentum; verumtamen ne suo Marte legentes ea re impedirentur, in commentario simul exposuimus, quasnam viri, quorum editionibus usi sumus, aliique ad orationis nexum integritatemque restituendam adhibuerint medelas.

Quod ad hunc ipsum, quem confecimus, commentarium attinet, id maxime secuti sumus, ut omnes difficultates, quibus iuniores conflictari constat, expediantur eaque saltem indicentur, unde sua

cuique loco affertur lux, atque hac ratione ad accuratam intelligentiam muniatur iter. Quocirca, quodam servato commentandi modo, nihil tamen praetermittendum videbatur, quod iuvenum commodis inservire possit, seduloque cavendum, ne necessario destituti auxilio perfunctorie agant in scriptore legendo atque in tenui ieiunaque acquiescant interpretatione. Rariorum igitur obscuriorumve verborum vim tum aliis Ciceronis (optimus enim sui quisque interpres), tum aliorum scriptorum locis illustravimus, atque omnino ad sententiarum difficiliorum sensum aperiendum, ad constructiones impeditiores enodandas, ad rerum, quae memorantur, naturam nexumque perspiciendum lectores religiose instituere ubique conati sumus. In iis potissimum rebus explicandis, quae ad historiam et antiquitates pertinent, quum priorum interpretum lucubrationes aliosque libros recentiores, v. c. *Abekenii: Cicero in seinen Briefen*, diligentissime consuluerimus, nil curam nostram effugisse confidimus, quo lectio harum epistolarum aliquatenus fructuosior reddi posset. Etiamsi enim eos, qui ad hasce legendas accedunt, ea iam historiae Romanae cognitione imbutos esse oporteat, ut rerum conversiones et graviora momenta probe perceperint, multi tamen earum loci interiorem accuratioremque antiquitatis scientiam requirunt, quam quae a lectore adolescentulo iuste possit postulari.

Omnia graeca verba ex graecisque libris depromptas sententias, a Tullio hic illic insertas, la-

tine vertimus explanavimusque, quo eorum necessitatibus esset consultum, qui graecis literis nondum satis exercitati ad lectionem harum epistolarum veniunt. Argumenta *Schützii* addidimus, ut singula cuiusque epistolae capita, quae deinceps tractantur, brevi in conspectu posita intento quasi digito monstrarentur, pariterque fronti unius cuiusque annum u. c. (a. Chr.), quo scripta est, una cum consulum eius anni nominibus adscripsimus, quo facilior ad historicam interpretationem esset aditus.

Finem huic praefationi facere non possumus quin vehementer optemus, ut aequi bonique iudices operae haud sane parvae, quam in curanda hac editione collocavimus, ponderandae examinandaeque non aurificis stateram, sed quandam potius popularem trutinam adhibeant, utque scholarum moderatores usu periti auctoritate sua nos eam viam tenuisse confirment, qua iuventutis studia possint rite promoveri vereque iuvari.

Scribebam Marburgi m. Novembri
a. MDCCCXLII.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM AD QUINTUM FRATREM
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

Scripta Romae a. u. c. 695 (a. Chr. 59)
L. Afranio, Q. Caecilio Metello Celere Coss.

Argumentum. Quum Quinto fratri, qui ex praetura Asiam provinciam annos iam duo magna cum laude, nonnullorum tamen cum reprehensione, administraverat, prorogatum etiam in tertium annum imperium fuisset, Cicero eum primum ob hanc molestiam consolatur, eamque partim sua ipsius culpa ei contractam esse confitetur 1—3; deinde hortatur fratrem, ne animum demittat, sed negotiis resistat, atque adeo occurrat, quippe quum non eam partem rei publicae gerat, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit et diligentia 4—9. Deinde praecipit primum, ut eos, quos comites et adiutores negotiorum res publica ipsa dederit, in officio contineat 10—11; ut convictorum et apparitorum facta et dicta sibi praestanda esse cogitet 12—14; ut quantum provincialibus vel Romanis vel Graecis fidendum sit, diligenter circumspiciat 15—16; ut servos gravi et constanti disciplina coërceat 17—18. Praeterea severitate ejus in rebus statuendis et decernendis laudata, aequabilitatem in iure dicendo 19—20, facilitatem in audiendo, lenitatem in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentiam commendat 21—26. Et quum iis, qui praesint aliis, omnia huc referenda sint, ut ii, qui fuerint in eorum imperio, sint quam beatissimi, hoc a fratre summa diligentia curatum esse, singula eius merita percensendo laudat, in eamque rationem ut porro omni studio incumbat, hortatur, 27—32. ideoque, ut publicanis nec omnino adversetur, nec iis tamen omnia concedat, monet 33—36. Denique ut iracundiae resistat omninoque totum animum in omnium laude colligenda ponat, fraterno eum animo rogat 37—45.

MARCUS Q. FRATRI S.

I. 1. Etsi non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura tuque ante ab aliis auditurus esses annum tertium accessisse desiderio nostro et labori tuo: tamen existimavi a me quoque tibi huius molestiae nuntium perferri oportere. Nam superioribus literis, non unis, sed pluribus, quum iam ab aliis desperata res esset, tamen tibi ego spem maturae decessionis afferebam; non solum, ut quam diutissime te iucunda opinione oblectarem, sed etiam quia tanta adhibebatur et a nobis et a praetoribus contentio, ut rem posse confici non diffi-
2. derem. Nunc quoniam ita accidit, ut neque praetores suis opibus neque nos nostro studio quidquam proficere possemus, est omnino difficile non graviter id ferre: sed tamen nostros animos maximis in rebus et gerendis et sustinendis exercitatos frangi et debilitari molestiâ non oportet. Et quoniam ea molestissime ferre homines debent, quae ipsorum culpa contracta sunt, est quiddam in hac re mihi molestius ferendum, quam tibi. Factum est enim mea culpa, contra, quam tu mecum et proficiscens et per literas egeras, ut priore anno non succederetur. Quod ego, dum saluti socio-

Ep. I. §. 1. *fama denique*, Part. *denique* post unum dumtaxat membrum similiter positam habes etiam apud Cic. Verr. 2, 51, 127. infra 2, 3, 2. ad div. 10, 33 prop. *fin.* 13, 4 a. fin. Cf. Ramsh. Gramm. §. 177*) et quae nos diximus ad Q. Cic. de petit. Cons. §. 8. Quare non est, quod cum Ernestio, post v. *nuntii* excidisse suspicemur: *multorum literae.* — *sua celerit.* i. e. famae propria. Cf. Virg. Aen. 4, 174. Ovid. Met. 12, 43. — *des. nostro* sc. reditus tui. — *labori* i. e. muneri tuo laboris pleno. — *decessionis*, abitus ex provincia, quum succeditur. — *a praetoribus*, qui, Quinto decedente, ut ex suo numero aliquis in eius provinciam, quae praetoria esset, mitteretur, contendebant.

§. 2. *suis opibus*, suis facultatibus, sua potentia. Cic. ad Att. 9, 16: (Caesar) *iam opes meas, non — opem exspectat.* — *frangi et debilitari* affligi, consternari, percelli. — *contra, quam.* Cf. Ramsh. §. 179 B, a, 4 qui tamen, post *contra* a Cicerone semper *atque, ac*, a Livio serioribusque scriptoribus *quam* usurpari perperam docet. — *succederetur* = successor tibi mitteretur. — *saluti*

rum consulo, dum impudentiae nonnullorum negotiato-
rum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri
expeto, feci non sapienter; praesertim quum id com-
miserim, ut ille alter annus etiam tertium posset ad-
ducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor, 3.
est sapientiae atque humanitatis tuae, curare et per-
ficere, ut hoc minus sapienter a me provisum diligen-
tia tua corrigatur. Ac si te ipse vehementius ad omnes
partes bene audiendi excitaris; non ut cum aliis, sed
ut tecum iam ipse certes; si omnem tuam mentem, cu-
ram, cogitationem ad excellentem in omnibus rebus
laudis cupiditatem incitaris: mihi crede, unus annus
additus labori tuo multorum annorum laetitiam nobis,
gloriam vero etiam posteris nostris afferet. Quaprop- 4.
ter hoc te primum rogo, ne contrahas ac demittas ani-
mum neve te obrui, tamquam fluctu, sic magnitudine
negotii sinas: contraque erigas ac resistas sive etiam

sociorum dedit Or. ex cod. Med. et ed. Vict. Cett. *soc. sal.* — *impud. nonnull. negot.*, ut Paconii et Tuscenii (v. §. 19), qui Ciceronis auctoritate apud fratrem perficere studebant, ut eorum avaritiae in re foenebri indulgeret; at hos a Quinto severe coërceri retinerique Marcus voluit. — *nostram* i. e. meam *glor. tua virt. aug. exp.*, quae primaria fuisse videtur causa, cur provinciam fratri alterum in annum prorogari vellet, ut quae priore *parum secunda fama* (Sueton. Aug. c. 3) administraverat, repararet atque corrigeret. — *id commis.* Ernest. conjecit: *ita commis.*, absque necessitate.

§. 3. *minus sap. a me prov.* quod mea imprudentia effeci, ut priore anno non succederetur. — *diligentia tua* = diligenti provinciae administratione. — *Ac* = et sane quidem, et profecto. — *bene audiendi* = bonae famae. Contrarium est illud ad Att. 1, 18, 5: *Qui Palicano...os ad male audiendum praebeat.* — *tecum .. certes* te ipsum superare studeas. — *ad excellentem.* Ernest. malebat *ad excellentis*, quod in textum recepit Schütz. et probat Orelli. Bentivogl. *excellentem* metonymice accepit pro *excellentis*, ut apud Virg. Aen. 6, 268: *Ibant obscuri sola sub nocte.* — *incitaris*, ut praec. *excitaris*, est fut. exact. propter seq. fut. *afferet.*

§. 4. *Ne contrahas ac demittas animum.* A navigatione desumta imago; orta tempestate vela contrahunt ac demittunt. Cf. Cic. ad Att. 1, 16, 2: *vela contraxi;* de N. D. 2, 4. de legg. 2, 15. — *demittere animum*, idem quod supra expressit *frangi, debilitari;* v. de Finn. 5, 15. — *ac dem.* Ern. cum aliis *aut dem.;* minus recte, quia vv. *contr.* et *dem.* non sibi, sed iis, quae sequuntur, *erigas ac resistas* opponuntur. — *contraque erig.* = *sed* contra *rogo* te erigas. — *fort. dom.*, ut in bello, quod statim addit.

ultro occurras negotiis. Neque enim ejusmodi partem rei publicae geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit et diligentia. Quod si tibi bellum aliquod magnum et periculosum administranti prorogatum imperium viderem, tremerem animo, quod eodem tempore esse intelligerem etiam fortunae pote-
5. statem in nos prorogatam. Nunc vero ea pars tibi rei publicae commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet et quae mihi tota in tua virtute ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas, ut opinor, insidias hostium, nullam proelii dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendii aut rei frumentariae, nullam seditionem exercitus pertimescimus: quae persaepe sapientissimis viris acciderunt, ut, quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunae impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas: ita tamen, ut ea dormientem gubernatorem
6. vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea provincia primum ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum: deinde ex eo genere civium, qui aut, quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt: aut, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur.

§. 5. *in qua . . . tenet* = in qua administranda nihil aut perexiguum a fortuna pendet. — *null. proel. dimic.* i. e. nullum proelii discrimen s. periculum omninoque nullum proelium; v. Cic. N. D. 2, 2. — *quae* = qualia. — *sap. viris,* ut Lucullo in bello Mithridatico. — *vel obruere.* Part. *vel,* quam Ernest. delendam censebat delevitque Matth., proba videtur idemque valet quod *etiam, adeo;* sensum Schütz. recte indicat his verbis: quae dormientem gubernatorem non tantum turbare, sed *etiam* obruere possit. — *possit.* De coniunct. praes., praecedente perfecto, v. Zumpt. §. 514. Nep. II, 1; 10, 1.

§. 6. *ex eo gen. soc.* Graecorum Asianorum, quibus infra §. 27 Afros, Hispanos et Gallos, immanes et barbaras nationes, opponit. — *ex eo genere civium.* Sunt Romani, et sociis opponuntur. — *nos summ. necess. attingunt,* quia ejusdem cum Cicerone ordinis erant, eorumque causam saepe adiuverat Cicero. v. ad Att. 1, 17, 9. —

II. 7. At enim inter hos ipsos existunt graves controversiae, multae nascuntur iniuriae, magnae contentiones consequuntur. Quasi vero ego id putem, non te aliquantum negotii sustinere. Intelligo permagnum esse negotium et maximi consilii, sed memento consilii me hoc esse negotium magis aliquanto quam fortunae putare. Quid est enim negotii continere eos, quibus praesis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum et difficile ceteris, sicut est difficillimum: tibi et fuit hoc semper facillimum et vero esse debuit; cuius natura talis est, ut etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est, quae vel vitiosissimam naturam excolere possit. Tu quum pecuniae, quum voluptati, quum omnium rerum cupiditati resistes, ut facies: erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis! Nam Graeci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria aut etiam de caelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent. Atque haec nunc, non ut 8.
facias, sed ut te facere et fecisse gaudeas, scribo. Praeclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia

nostri consul. benef. Foeneratorum enim negotiatorumque bonis coniurati Catilinae praecipue inhiabant. Cf. ad Div. 5, 6, ubi Cicero de se, *qui ex obsidione,* inquit, *foeneratores exemerit,* sc. novas tabulas impediendo; de off. 2, 24: *Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur; armis et castris tentata res est.* Hinc ad Att. 2, 1, 11 *vindicem aeris alieni* se vocat.

II. §. 7. *At enim = at,* dixerit *enim* aliquis; formula, qua aliorum obiectionibus occurritur. v. Kritz ad Sall. Cat. 51, 25. — *contentiones,* a provinciae praeside disceptandae. — *id putem.* Ernest. *id* supervacaneum putabat; perperam, quum pronomm. *hoc, illud, id* saepius sic adhibeantur, ut seq. acc. c. inf. magis advertatur. v. Zumpt. §. 748. — *si te ipse contin.* »Neque enim«, ut Cic. pro lege Man. 13, 38 ait, »potest exercitum is continere, qui se ipsum non continet.« — *erit, credo, periculum, ne.* Verbum *credo* interpositum ironiae inservit. v. Zumpt. §. 777. Sensus igitur: *Nequaquam verendum, ne.* — *Graeci,* socii Asiani. — *ex annal. mem.* quales fuere Aristides, Epaminondas, Phocion. — *de caelo .. delapsum,* ut heroa, singulari Deorum beneficio ac favore datum. Cf. Ruperti ad Iuv. sat. 2, 40: *tertius e coelo cecidit Cato.*

§. 8. *cum imperio* = summa cum potestate civili et militari,

triennium sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniae — quibus rebus abundat ista provincia — ab summa integritate conti-
9. nentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium aut tam expetendum potest, quam istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissimae provinciae atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri, non adventu commoveri? esse, quocunque veneris, et publice et privatim maximam laetitiam: quum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur?

III. 10. His autem in rebus iam te usus ipse profecto erudivit nequaquam satis esse, ipsum has te habere virtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciae non te unum, sed omnes ministros imperii tui sociis et civibus et rei publicae praestare videare. Quamquam legatos habeas eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae; de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem

quae erat penes provinciarum praesides. — *nulla vestis* stragula, peristroma, in quibus magnus ornatus tricliniorum fuit. — *forma*, pulchritudo *cuiusquam* mancipiorum, vel mulieris, vel adolescentuli. — *nulla conditio* est: promissio *pecuniae* quamvis magnae ad obtinendum aliquid contra ius, uti Ernest. interpretatur.

§. 9. *in luce As.* = in conspectu Asiae, palam. Frequentissime h. v. utitur Cicero; cf. de senect. 4. Tusc. 2, 26. Brut. 8. Harusp. resp. 23. — *positam* = propositam, explicatam. — *non itin. tuis perterreri hom.* Proconsules aut eorum legati, quum ad audiendas dirimendasque lites querelasque, ad ea examinanda et ordinanda, quae ad publicam salutem pertinerent, aliasve ob causas provinciae suae urbes adirent, socios pop. Rom. diripere atque expilare fere solebant. Cf. infra §. 25: *illa itinerum atque agrorum . . . latrocinia esse depulsa.* Plin. Paneg. 20. — *non adventu comm.* Cf. Cic. pro leg. Man. 5. ad Att. 5, 16. — *urbs*, quam advenisti; *domus*, quae te excepit.

III. §. 10. *has te* dedit Orell. pro vulg. *hasce.* — *praestare* aliquem est praedem esse pro aliquo, periculum quod ex eo timetur, in se recipere. — *Tubero.* L. Aelius Tubero ab ineunte aetate

ego arbitror, praesertim quum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari: Allienus autem noster est quum animo et benevolentia, tum vero etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certo scio ita laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum etiam de nostra laboret. Quaestorem 11.
habes non tuo iudicio delectum, sed eum, quem sors dedit. Hunc oportet et sua sponte esse moderatum et tuis institutis ac praeceptis obtemperare. Quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus esset adstrictus: non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quaestum uteretur. Neque enim mihi sane placet, praesertim quum hi mores tantum iam ad nimiam lenitatem et ad ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere unum quemque eorum: sed, quanta

Ciceronis amicus, post affinis, in bello civili a Pompeii partibus, post pugnam Pharsalicam cum Caesare in gratiam rediit. Scripsit historiam Romanam, ex qua Livius hausit. V. Gell. 6, 3. Liv. 4, 23. 10, 9. Non confundendus cum Q. Aelio Tuberone, qui philosophiae iurisque scientia excelluit. — *A. Allienus,* Lentulo et Marcello Coss. praetor factus, postea legatus Dolabellae, in extremo libertatis certamine Cassium secutus est. — *M. Gratidius,* nepos M. Gratidii Arpinatis, cujus soror Ciceronum avia erat, fuisse videtur. V. Cic. Brut. 45, 168. de legg. 3, 16. — *labor. de ex. sua* i. e. omnem dare operam, ut bonam teneat famam.

§. 11. *Quaestorem.* Ex Sullae dictatoris instituto viginti quotannis creabantur quaestores, quorum duo (urbani) aerarii curam habebant, reliqui, provinciales appellati, sub Proconsule aut Praetore reditus publicos in provinciis administrabant, sorteque legebantur. Quaestor, proximus post praesidem provinciae magistratus, hoc decedente usquedum successor veniret, illius vices sustinebat. — *ferres,* ei indulgeres, ignosceres. — *per se* i. e. privatus, et eo modo, quo posset etiam, si non esset legatus, quaestor, et in rebus privatis, non publicis. — *eas leges, q. esset adstr.,* quibus quaestoris potestas circumscripta est, quae ad ipsum dumtaxat, non ad tuam etiam dignitatem pertineant. — *ad dignitatem* suam tuendam. Licuit enim provinciae rectori, multa suo quaestori praeter legitimam ipsius potestatem permittere. — *hi mores* i. e. nostri temporis — *tantum iam.* Io. Frid. Gronov. susp. *tantum non* i. e. prope, paene. Facciol. coni. *quum ii mores sint, ut iam ad* etc. — *lenitatem* rectorum provinciae, *ambitionem* legatorum, quaestorum cet. — *incubuerint* = vergerint, inclinaverint. — *omnes.* Ern. susp. *omnium sord.* — *sordes,* iniquitates, pravitates, avaritiae fa-

sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos, quos tibi comites et adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa res publica, dumtaxat finibus iis praestabis, quos ante praescripsi.

IV. 12. Quos vero aut ex domesticis convictionibus aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte praetoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia praestanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis recte facientes facile diligere: minus consulentes existimationi tuae facillime coërcere: a quibus, rudis quum esses, videtur potuisse tua liberalitas decipi: nam ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur: nunc vero tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam ac diligentio-
13. rem. Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate quaestûs causa insusurretur. Sit anulus tuus non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu: non minister alienae vo-

cinora. — *excutere,* proprie togam alicuius excutiendo examinare, anne telum abditum sit. v. Phaedr. 5, 5, 19; hinc tropice: accurate et diligenter inquirere, scrutari. — *comites et adiutores,* legatos et quaestores. — *finibus iis* (Vulg. *fin. his*), nimirum potestate abs te illis permissa, *praestabis,* de illorum officio et honestate cavebis, in suo officio retinebis.

IV. §. 12. *ex dom. convictionibus,* familiaribus et amicis, quibus quotidiano in convictu utebatur. V. ad fam. 16, 21. *Utor familiaribus et quotidianis convictoribus . . . hominibus doctissimis.* — *ex nec. apparit.* i. e. ministris, quales sunt scribae, lictores, accensi, praecones cet. — *quasi ex coh. praetoris,* addit *quasi,* quia in *cohorte praetoria* nobiliores homines, velut comites consulares, apparitores autem inferioris ordinis erant. — *horum,* quippe a nobis ipsis delectorum. — *rudis quum esses* sc. provinciae (quod v. Ernest. excidisse putabat), quum recens in eam venisses. — *liberalitas,* comitas, facilitas. — *cautiorem et. ac diligentiorem.* Lamb. *cautionem autem diligentiorem;* at vero lect. vulg. defenditur eo, quod infra §. 17 itidem iungit: *cautus ac diligens,* et §. 18: *percautus et diligens.*

§. 13. *existimentur audire.* Monet his subobscuris verbis fratrem, ne quemquam ficta ac simulata insusurrare patiatur, sed omnes palam atque aperte loqui iubeat, ut quod audivit, id existimetur audisse. — *ut vas,* i. e. instrumentum, utensile, σκεῦος. Sensus: anulus, quo edicta literasque signas, non temere, ut aliud instrumentum, cuiuslibet fidei credas tradasque, quum eo abuti possit. — *tamquam ipse tu,* ut sit certissimum tuae voluntatis signum. —

luntatis, sed testis tuae. Accensus sit eo numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant; quibus illi quidem non multo secus ac servis imperabant. Sit lictor non suae, sed tuae lenitatis apparitor: maioraque praeferant fasces illi ac secures dignitatis insignia, quam potestatis. Toti denique sit provinciae cognitum tibi omnium, quibus praesis, salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique haec opinio sit, non modo iis, qui aliquid acceperint, sed iis etiam, qui dederint, te inimicum, si id cognoveris, futurum. Neque vero quisquam dabit, quum erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen haec oratio mea est eiusmodi ut 14.
te in tuos aut durum esse nimium aut suspiciosum velim. Nam si quis est eorum, qui tibi biennii spatio nunquam in suspicionem avaritiae venerit, — ut ego Caesium et Chaerippum et Labeonem et audio et, quia cognovi, existimo — nihil est, quod non et iis et si quis est alius eiusdemmodi et committi et credi rectissime putem. Sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuae commiseris.

min. alien. voluntatis, quo quis, quoties velit, uti possit. — *Accensus,* minister publicus, cuius erat, litigatores in forum ad practorem *ciere* i. e. advocare, clamantes increpare, silentium iubere etc. — *sit eo numero* = ita tractetur, sic eo utaris. — *in beneficii loco,* quo ei munere quaestuoso gratificarentur. — *lictor,* quorum sex proconsulibus et propraetoribus in provinciis fasces praeferebant. — *lenitatis,* in puniendo moderationis. Vult igitur, ut Quintus ipse puniendi modum statuat, non lictori permittat, qui facile, ut Sestius, Verris lictor, lenitatem in suum quaestum verteret venderetque Verr. 5, 45. Unde non est, quod cum Ursino *non suae saevitiae,* aut cum Ernestio *non suae voluntatis* legamus. — *qui aliquid acceperint,* nimirum dona, quibus corrumperentur, ut aliquid a te impetrarent.

§. 14. *Caesium et Ch et Lab.* In cohorte practoris, commensalibus parvisque amicis fuisse videntur. — *si quis* = *εἴ τις,* quicunque. V. Ramsh. §. 160, 2, not. 2. — *offenderis,* h. l. est: offensionem acceperis. V. Caes. B. C. 2, 32. Luccei. in Cic. ep. ad

V. 15. In provincia vero ipsa, si quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis ante fuerit ignotus; huic quantum credendum sit, vide: non quin possint multi esse provinciales viri boni; sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. Multis enim simulationum involucris tegitur et quasi velis quibusdam obtenditur unius cuiusque natura: frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur; oratio vèro saepissime. Quamobrem, quî potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniae cupiditate adducti careant iis rebus omnibus, a quibus nos divulsi esse non possumus, te autem, alienum hominem, ament ex animo ac non sui commodi causa simulent? Mihi quidem permagnum videtur; praesertim si iidem homines privatum non fere quemquam, praetores semper omnes amant. Quo ex genere si quem forte tui cognosti amantiorem — fieri enim potuit — quam temporis, hunc vero ad tuum nu-

Div. 5, 14 extr. Cic. Verr. 1, 25 — *aliquid* i. e. aliquid improbitatis. — *null. part. existim. tuae comm.* = nihil ei permitte, in quo fama tua agitur.

V. §. 13. *si quem* civem Romanum, negotiandi causa in provincia degentem; quod genus hominum statim appellat *provinciales*, ubi v. not. — *non quin* = nicht als ob nicht; v. Zumpt. §. 536. — *provinciales* h. l. omnino appellat cives Romanos, ut publicanos, negotiatores, qui in Asia provincia domicilium fortunarum suarum constituerent ibique multos per annos commorarentur; a quibus mox Graecos, provinciae incolas, distinguit. — *iudicare*, sibi persuadere, bonum esse illum. — *qui ... careant, ... te autem.* Schütz post *qui* inseruit *quum* et *te autem* mutavit in *tamen te.* Qua coniectura opus non erat, quum altera sententia, a *te autem* incipiens, priorem magis illustret. — *careant iis rebus omn.*, nimirum vita urbana, parentum, liberorum, amicorum consuetudine, literarum studio, quibus nonnisi Romae verus Romanus se frui posse putabat. — *alienum*, cuius mores ab istorum moribus abhorrent, cui nihil cum eis commune. — *permagnum*, difficillimum, vix credibile, sc. tales homines reperire. — *praesertim si iidem ... amant.* Lamb. coniecit *praes. quum iidem ... ament.* Etiam Ernest. volebat *si ... ament.* Orell. adnotat, potuisse Ciceronem scribere *si quidem iidem .. ament*, noluisse autem propter proxime praecedens *quidem.* — *praetores semp. omn. amant*, non revera, sed amare simulant, quia illorum opera sperant se suo commodo servire posse. — *temporis* h. l. muneris tui praetorii ad tempus dati, quod quum maxime geris, quum propraetore provinciae praees. v. ep. ad div. 10, 1. ubi: „*si ad tuum tempus deducitur*" i. e. ad consulatum tuum. — *tuum numerum.* Schütz. cum Ursino e Longolii codice dedit *tuorum num.* —

merum libenter adscribito: sin autem id non perspicies, nullum genus erit in familiaritate cavendum magis: propterea quod et omnes vias pecuniae norunt et omnia pecuniae causa faciunt et, quicum victuri non sunt, eius existimationi consulere non curant. Atque etiam e 16.
Graecis ipsis diligenter cavendae sunt quaedam familiaritates, praeter hominum perpaucorum, si qui sunt vetere Graecia digni. Sic vero, fallaces sunt permulti et leves et diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque coniungi dico oportere: nimiae familiaritates eorum neque tam fideles sunt, — non enim audent adversari nostris voluntatibus — et [vero] invident non nostris solum, verum etiam suis.

Iam, qui in eiusmodi rebus, in quibus vereor etiam, VI. 17.
ne durior sim, cautus esse velim ac diligens, quo me animo in servis esse censes? quos quidem quum omnibus in locis, tum praecipue in provinciis regere debe-

vias pecuniae sc. quaerendae, colligendae, Wege und Schliche Geld zu machen, uti Wieland. vertit. — *victuri non sunt* i. e. per breve tantum tempus familiariter vivunt.

§. 16. *quaedam famil.* V. *quaedam* delendum censuit Ernest. delevitque Schütz. Recte defendit Bentivogl., qui, »significat, inquit, *quorundam hominum familiaritates«; vel interprete Orell.: familiaritates illae, quas, cuius generis sint, optime nosti» — Sic vero* = ut nunc res est. Ita locum recte explicavit Manut. Cf. ad div. 13, 70 init. Absque idonea causa Lambin. *sin vero,* et Schütz. auctore Ernestio *nunc vero* coniecit. — *eruditi* = instituti, periti. — *adhiberi liberaliter,* tractari comiter et humane. — *coniungi* sc. tecum. — *tam fideles sunt* sc. quam esse deberent. Ernest. suspic. *iam.* Schützio immerito oratio manca videbatur et post *famil. eorum* supplendum *cavendae quod.* — *advers. nostr. voluntatibus.* Quod fidelis amici interdum officium est, amico repugnare, eum dehortari, illi ob nimiam assentationem non audent. — *et [vero] invident.* Part. *vero,* quam superiori *neque* respondere ait Facc., quum incerta nitatur auctoritate, uncis inclusit Orell. — De partt. *neque . . . et* v. Ramsh. §. 179 B, b, not. 1. — *nostris,* Romanis.

VI. §. 17. *durior,* difficilior, severior. — *in servis* significat: in eo quod ad servos attinet, non *erga servos.* Hinc reiicienda lectio vulg. *in servos;* Cicero dicere non vult, quomodo sit animatus *in servos,* sed quae sit sua sententia *de servis.* Cf. Sall. Cat. 51, 35. coll. Cort. ad Sall. Cat. 51, 15. Cic. ad Div. 2, 14. *In hoc ho-*

mus: quo de genere multa praecipi possunt, sed hoc et brevissimum est et facillime teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia via faceres: neve interesse quidquam putent, utrum Trallis an Formias venerint. Ac si quis est ex servis egregie fidelis, sit in domesticis rebus et privatis: quae res ad officium imperii tui atque ad aliquam partem rei publicae pertinebunt, de iis rebus ne quid attingat. Multa enim, quae recte committi servis fidelibus possunt, tamen sermonis et vituperationis vitandae
18. causa committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei praecipiam, quem ego in hoc praesertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem quam me, usu vero etiam superiorem? Sed tamen si ad ea, quae faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipsa illa putavi fore iucundiora. Quare sint haec fundamenta dignitatis tuae: tua primum integritas et continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaritatibus et provincialium hominum et Graecorum percautus et di-
19. ligens; familiae gravis et constans disciplina. Quae quum honesta sint in his privatis nostris quotidianisque rationibus, in tanto imperio, tam depravatis moribus,

mine nullam accipio excusationem. — *Appia via,* in qua, omnium frequentissima, et in civium Romanorum conspectu, servi non facile sese efferrent. — *faceres.* Ernesti malebat *facias.* Sed sensus est: eo modo se gerant, quo se gererent, si iter . . . facies. V. Zumpt §. 524. — *Trallis,* urbem Cariae in Asia minori, hodie Eskihissar; *Formias,* oppidum Latii, ubi praedium Ciceronis erat. — *venerint,* non *venissent,* post praes. coniunct. v. Zumpt §. 512. — *Ac.* Vulg. *at.* V. adnot. meam ad Q. Cic. de petit. cons. §. 49. — *sermonis,* famae, Nachrede. — *committ. non sunt.* Quod tamen antea fecerat Quintus. Cf. ep. 16 et 23 hui. libr.

§. 18. vv. *quam me* Ernest. suspecta habuit; sed v. Zumpt. §. 484. — *auctoritas,* assensus, probatio. — *ipsa illa* ex coniectura Ursini dedit Schütz. pro vulg. *ipsi illa.* — *pudor,* modestia, probitas, honestas — *familiae,* domesticorum, ministrorum.

§. 19. *in tanto imperio,* in tanto munere provinciali, in provincia Asia, cui tanta cum potestate praees. — *corruptrice,* ad cor-

tam corruptrice provincia divina videantur necesse est. Haec institutio atque haec disciplina potest sustinere in rebus statuendis et decernendis eam severitatem, qua tu in iis rebus usus es, ex quibus nonnullas simultates cum magna mea laetitia susceptas habemus. Nisi forte me Paconii nescio cuius, hominis ne Graeci quidem ac Mysii aut Phrygis potius querelis moveri putas aut Tuscenii, hominis furiosi ac sordidi vocibus, cuius tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum aequitate.

Haec et cetera plena severitatis, quae statuisti in ista provincia, non facile sine summa integritate sustineremus; quare sit summa in iure dicundo severitas, dummodo ea ne varietur gratiâ, sed conservetur aequabilis. Sed tamen parvi refert abs te ipso ius dici aequabiliter et diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur non sane magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iurisdictione VII. 20.

ruptionem et improbitatem alliciente ob divitias, luxum morumque pravitatem. — *institutio,* constans atque aequabilis agendi ratio. — *sustinere,* defendere et tueri contra adversariorum vituperationem. — *in rebus statuendis et decernendis* i. e. in institutionibus imperandis litibusque diiudicandis. — *in iis rebus* = in iis causis s. casibus. — *simultat.,* inimicitias occultas. — *cum magn. mea laet.* Praepos. *cum* h. l. modum rationemque, qua hoc factum sit, indicat. V. Zumpt. §. 472. — *susceptas habemus* = suscepimus V. Zumpt. §. 634. — *Paconius* et *Tuscenius* aeque ignoti sunt ac peccata eorum, ob quae severe coërciti Romae Quintum incusasse videntur. — *ac Mysii.* Vulg. exhibet *at Mysii.* Lam. *sed.* Non raro praecedentem sententiam negantem sequitur alia, qua contrarium illius profertur, incipiens verbis *ac, et,* pro quibus exspectasses *sed.* Cic. pro Rosc. Amer. 4: »animo *non* deficiam, *et* id quod suscepi, quod potero, perferam.« Iug. 107, 3. »*Nihil* dolo factum, *ac magis* calliditate Iugurthae.« — *Mysii aut Phrygis.* Quam contemtae hae gentes fuerint, vides ex Cic. pro Flacc. 27, 65. — *inhonestiss. cupid.* = rem, cui turpissime inhiaverat, quam concupiverat.

VII. §. 20. *sustineremus.* In vett. editt. exstat: *sustinebimus.* Orell. proposuit: *sustinuerimus.* — *integritate* vitae, probitate. — *dumm. ea ne var. gratia* = dummodo eadem sit in omnes, nec ob gratiam aliud alio tempore decernatur. De *dummodo ne* v. Zumpt. §. 572. — *aequabiliter,* constanter, eodem semper modo, graviter. — *partem concess.* Praetores in provinciis quaestoribus et legatis suis aliquando iurisdictionem mandasse patet ex Verrinis 1 et 4. — *sus-*

maxime sustineri. In qua scientiae praesertim provincialis ratio ipsa expedita est: constantia est adhibenda et gravitas, quae resistat non solum gratiae, verum
21. etiam suspicioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper C. Octavius iucundissimus fuit: apud quem primus lictor quievit; tacuit accensus; quoties quisque voluit, dixit et quam voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi haec lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant, reddere. Qui in magistratibus iniuriose

tineri = contineri, constare. — *scientiae praes. provinc. ratio;* sensus: iuris dicundi in provincia ratio multo facilior est quam Romae; quia litigatores aut provinciales (Graeci) sunt aut negotiatores et foeneratores, quos haud difficulter continere possis, Romae contra litigantes saepe gratia et opibus pollent ideoque reluctantur; aut quia, ut Facc. adnotat, facile erat iûs dicere in provincia, in qua neque tam multae leges, neque tanta formularum quasi superstitio. — *suspicioni* gratiae seu partium studii.

§. 21. *in decernendo*, in causis cognoscendis, sententia dicunda. — *satisfaciendo*, deleniendis ac tranquillandis iis, adversus quos sententia datur; quod facit iudex, ubi decreta sua contra obiectiones exceptionesque litigantium argumentis defendit atque sustinet. , De hac vi v. *satisfacere*, qua significat: rem ita demonstrare et obiectionibus respondere, ut in eo acquiescatur, v. Ern. cl. Ciceron. s. v. et quem ibi laudat Cic. Verr. 3, 62. ubi *satisfacere iudicibus* idem est q. rem iis probare. — *disputando. Disputare* quum non sit praetoris, Manutius legendum censuit: *disceptando*, quam emendationem firmare conatus est loco Cic. Part. orat. c. 3: *Nam aut auscultator est, modo qui audit, aut disceptator*, i. e. *rei sententiaeque moderator*. Lectio *disputando* si genuina est, ad litigantes spectaret, quibus iudex veniam inter se et cum ipso disputandi concedat, et respectu τοῦ *satisfaciendo* hysteron proteron contineret. — *C. Octavius*, Augusti pater, ex praetura rexit Macedoniam provinciam proconsule eodem tempore, quo Q. Cicero Asiam administrabat. v. Sueton. Aug. 3. infra ep. 2. §. 7. ad Att. 2, 1, 12. — *primus lictor* Schütz. coniecturam Malaspinae *primum lictor* recepit; Orell. contra monet: »*primus lictor* idem, qui alibi, de Divin. 1. §. 59. Verr. 2, 5. c. 54. Sall. Iug. 12. Inscriptt. mear. Lat. N. 3218. *lictor proximus*, nisi hoc quoque loco *primus* corruptum e *proximus*.« Primus s. proximus lictor est in serie incedentium lictorum ultimus et proxime praecedens magistratum. v. Lips. Elect. 1, 23. — *quievit*, non obstrepuit atque silentium imperavit dicentibus. — *illam severitat.*, cuius exemplum statim affert. — *tueretur*, defenderet, excusaret. — *Sullani homines*, qui Sullanae factionis auxilio in aliorum bona irrepserant. *Facc.* — *metum*, minas. — *in magistrat.* opponitur seq. *privatis*.

decreverant, eodem ipsis privatis erat iure parendum. Haec illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quod si haec lenitas 22. grata Romae est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta vis [*populi*], tanta senatus auctoritas: quam iucunda tandem praetoris comitas in Asia potest esse! in qua tanta multitudo civium, tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur; ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio. Quare quum permagni hominis est et quum ipsa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus is praesit, desideretur.

eodem i. pr. erat iure parendum, decreta eorum injuriosa in ipsos, privatos, adhiberi atque exerceri recusare non poterant. — *condimentis human.* i. e. comitate, suavi et humana agendi ratione. v. de illa voce Cic. de amic. 18.

§. 22. *lenitas,* eorum, qui magistratum in urbe gerunt. — *tanta arrogantia,* adversus magistratus, in qua lenitas vix agnoscitur. — *tam immod. libertas* appellandi maiorem magistratum contra minorem, ejusque iniurias et acerbitatem. — *licentia,* qua multum contra ius et aequitatem audere illis licet. — *magistratus,* inprimis tribuni plebis, quorum auxilium implorant acerbius tractati. — *auxilia* juris s. legitima, quae litigantibus contra sententiam praetoris suppetunt. — *tanta vis* [*populi*]. V. *populi* coniectura inseruit Ernest., quem secutus est Schütz., ut haec verba sic seqq. *nulla concio* opponerentur. At vero populi vis iam expressa est vv. *tam immod. libert.,* et quum vv. *nulla concio* post *nullus senatus* extremum locum teneant, accurata membrorum oppositio observata non esse videtur, et *tanta vis* aeque ac *tanta auctoritas* ad v. *senatus* pertinent. — *civitates,* quae antea liberae, suis legibus usae fuerant. — *nullum auxilium,* nulla intercessio tribunorum pl. adversus praetorem. — *nulla conquestio* de magistratu, de praeside provinciae apud maiorem magistratum, ad quem appellans quis confugere possit. Manutius tamen corrigendum proposuit: *quaestio,* quae pertineret ad iudicia, contra magistratuum iniurias in urbe implorata; unde triplex auxilium foret: *iudicia, senatus, populus.* — *nullus senatus, nulla concio,* i. e. nullum auxilium a senatu, nullum a populo per concionem imploratum. — *se adhibere* = se gerere. — *nulla al. potestas* maior, ad quam contra decreta praesidis confugiant. — *is praesit.* Ernest., quem sequitur Schütz., absque codd. auctoritate dedit *ipse praesit.*

VIII. 23. Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii; cuius summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: — quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii: — eaque, si sic coluit ille, qui privatus futurus nunquam fuit: quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, et ab iis legibus datum est, ad quas reverten-
24. dum est? Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui praesunt aliis, ut ii, qui erunt in eorum imperio, sint quam beatissimi: quod tibi et esse antiquissimum et ab initio fuisse, ut primum Asiam attigisti, constante fama atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modo eius, qui sociis et civibus, sed etiam eius, qui servis, qui mutis pecudibus praesit, eorum, quibus praesit, commodis utilita-

VIII. §. 23. *Cyrus ille . . . eaque, si sic coluit ille.* Ἀνακόλουθον huic periodo inesse facile vides. Quae ut amoveretur, Ursinus proposuit: *scriptus est;* Ernest. autem *que* in *eaque,* et *ille* post *coluit* delevit. Lambinus iuncturam ita restituere conatus est, ut *Si Cyrus . . . sed si haec officia sic coluit ille* emendaret, ubi part. *sed* per epanalepsin s. *repetitionem,* Ciceroni satis usitatam, cui figurae alibi *igitur, dico* cet. inserviunt, ad primariam sententiam lectoris animum revocat. Verumtamen structuram anacolutham illis emendationibus potiorem esse, merito nobis iudicare videtur Orell. Hoc anantapodoton eius generis est, ut in continuata sententia parentheseos magis, quam initii periodi ratio habeatur, indeque v. *eaque* non ad *gravitas* et *comitas,* sed ad *officium,* quod propius est, sit referendum. — *non ad hist. fidem.* Multa enim de eo ab Herodoto aliter quam a Xenophonte narrantur, neque ut exemplum perfectionis regiae ab illo describitur. — *Africanus,* Scipio Africanus minor, L. Aemilii Pauli filius. — *moderati,* est quod nos dicimus besonnen. V. Tac. Agr. 5. *diligens ac moderatus dux.* Cf. Döderl. synonym. P. 2. p. 209. — *eaque* sc. officia diligentis et moderati imperii. — *priv. fut. nunquam,* quippe rex, non ut in civitate libera magistratu se abdicaturus. — *ita datum,* nimirum ad tempus. — *ut redderent.* Gesner. coniecit: *ut reddant.*

§. 24. *in eorum imp.,* quae minus grata auribus accidit. — *antiquissimum* = maxime tibi cordi, summum tuum studium. — *qui mutis pecudibus praesit* cet. Totus huius sententiae color arguit, illam a Xenophonte, cuius in memorabilibus quam simillimae leguntur, esse desumtam. Cf. memorab. 1, 1, 32. coll. Plat. rep. 1. p. 343. b.

tique servire. Cujus quidem generis constare inter omnes video abs te summam adhiberi diligentiam: nullum aes alienum novum contrahi civitatibus: vetere autem magno et gravi multas abs te esse liberatas: urbes complures dirutas ac paene desertas, — in quibus unam Ioniae nobilissimam, alteram Cariae, Samum et Halicarnassum, — per te esse recreatas: nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias: provideri abs te, ut civitates optimatium consiliis administrentur: sublata Mysiae latrocinia: caedes multis locis repressas: pacem tota provincia constitutam: neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura et maiora oppidorum et fanorum furta et latrocinia esse depulsa: remotam a fama et a fortunis et ab otio locupletium illam acerbissimam ministram praetorum avaritiae, calumniam: sumptus et tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari aequabiliter: facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam tuo; toto denique [in] imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, 25.

§. 25. *Cuius quidem generis*, ut eorum, quibus praesis, commodis utilitatique servias. — *urbes complures*. In multis editt. vox *urbes* adiicitur superiori membro, ut sit *liberatas urbes*. Sed error irrepsit, ut recte monuit Facc., non reputantibus in quo differat urbs a civitate. — *recreatas* = instauratas. — *oppid. et fan. furt. et lat.* Hanc lect. per se minime spernendam, sed de interpolatione suspectam esse ait Orell. Bentivogl. maiori *oppid.* minus *fanorum* eam ob causam subiungi putat, quia latrocinia fanorum maiora sunt quam oppidorum, ob religionem. — *furta* fiunt clam, *latrocinia* palam. — *locupletium*. Vulg. *locupletum*. — *calumniam*, fictam accusationem; quidam enim provinciarum praesides, uti Verres, accusatores locupletium subornabant, ut ex eorum condemnatione quaestum facerent, adeoque bona eorum usurparent. — *tolerari aequabiliter*, ex aequo imperari indeque minime molesta esse. — *null. inop. ac solitud.*, neminem inopem ac solum i e. amicorum praesidio carentem. Sic *solitudo* de liberis, parentibus orbatis, legitur Cic. Verr. 1, 58, de viduis Caecin. 5. — *populari accessu*, aditu ad te facili, qui cuivis ex populo ad te permittitur. — *ac tribunali*. Lallem. suspic. *ad tribunal tuum*. — *tuo; toto denique [in]*

atque omnia plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis.

IX. 26. Quantum vero illud est beneficium tuum, quod iniquo et gravi vectigali aedilicio, cum magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti? Etenim, si unus homo nobilis queritur palam te, quod edixeris, NE AD LUDOS PECUNIAE DECERNERENTUR, HS cc. sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicunque Romae ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur? Quamquam has querelas hominum nostrorum illo consilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo, Romae quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quod, quum ad templum monumentumque nostrum civitates pecunias decrevissent, quumque id et pro meis magnis meritis et pro tuis maximis beneficiis summa sua voluntate fecissent, nominatimque lex exciperet, UT AD TEMPLUM MONUMENTUM[QUE] CAPERE LICERET;

imperio. Sic distinxit Orell. cum Manutio aliisque; vulgata exhibet: *tuo toto denique imperio.* At supra §. 19 est: *in tanto imperio* sine pron. *tuo.* Praepos. *in,* quae vulgo omittitur, idem Orell. ex codd. saltem cum uncis addendam censuit. — *atque omn.* Post part. negantem, qualis hic: *nihil,* coni. *atque* idem valet quod *sed, immo vero;* cf. supra ad §. 19.

IX. §. 26. *vectigali aedilicio, cum m. n. s.* est egregia Lünemanni emendatio pro vulg. *vectigali aediliciorum m. n. s.* Mutandum esse *aediliciorum* (cui v. etiam si subaudis *hominum,* vel, ut Facciol. monuit, *munerum,* est incongrua lectio) in *aedilicio* iam Hotomann. viderat, quem secutus est Schütz. Lünem. ex postrema syllaba eruit *cum,* et sic ait Ciceronem loqui amare. V. supra ad §. 19. — *vectigal aedilicium* appellabatur pecunia s. tributum, quod pro aedilibus ad ludorum sumtus cogebatur. Cf. Liv. 40, 44 extr. — *Etenim;* vulg. *Enimvero,* quam correctionem lectionis *enim* esse censet Orell. — *penderetur* a provincia. — *erogaretur,* imperaretur, exigeretur. — *nescio quonam modo.* Ern. et Sch. *n. quo modo.* Illud *quonam modo* pro *quomodo* legitur ad div. 11, 27, 5; 10, 33, 3. — *ad templum monumentumque nostrum,* ob beneficia meritaque, quibus Asiam provinciam affecerat Marcus Cicero. Cf. ad Att. 5, 21: »Ob haec beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum decerni sino, statuas, fana, τέθριππα prohibeo.« — *summa sua voluntate,* sponte, non precibus vel edictis adducti. — *lex* de repetundis, quae cavebat, ne cui aut capere pecunias liceret aut conciliare. V. ad Attic. 5, 21. Verr. 5, 48. — *monumentum [que].* Quum in aliis libris legatur *et monumentum,* copulam in-

quumque id, quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potius, quam populo Romano ac diis immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi quum aliis de causis, tum etiam ut animo aequiore ferrent ii, quibus nec deberetur nec liceret. Quapropter incumbe 27.
toto animo et studio omni in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuae fidei potestatique senatus populusque Romanus commisit et credidit, diligas et omni ratione tueare, ut esse quam beatissimos velis. Quod si te sors Afris aut Hispanis aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuae consulere eorum commodis et utilitati salutique servire. Quum vero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipso sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur humanitas, certe iis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus. Non 28.
enim me hoc iam dicere pudebit, praesertim in ea vita atque in iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiae aut levitatis ulla suspicio, nos ea, quae consecuti sumus, iis studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque traditae. Quare praeter communem fidem, quae omnibus debetur,

clusit Orell., qui in legis formula neutram fuisse dicit. — *dignitas*, quatenus ab ipsis ob maxima beneficia erat sponte decretum, non invitis imperatum. — *quibus nec deberetur* a provincia; patet aediles significari. — *nec liceret* sc. deberi s. capere pecunias.

§. 27. *rationem* = agendi viam. — *et omni rat. tu., ut esse.* Facciol. coniecit: *et omni ratione tueare, et esse.* Schütz: *ut omn. rat. tueare, ut esse;* addit, suaviorem fieri anaphoram particulam *ut* repetendo, et confert §. 31 extr. V. etiam ad div. 12, 15, 3. — *in quo ipso* dedit Matth. in Ed. sec. de Reizii coniectura; vulg. *ipsa*, quod minus congruit cum vv., quae sequuntur: *a quo ad alios.* — *certe iis ... tribuere debemus.* Egregius sane locus, qui praeclaram Ciceronis pietatem in populum, unde ingenii culturam hauserat, probat.

§. 28. *in iis reb. gest.* Vulg. omittit *in.* — *monumentis* = libris, operibus; *disciplinis* = institutionibus, doctrina. — *traditae.* Vulg.

praeterea nos isti hominum generi praecipue debere videmur, ut, quorum praeceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere.
X. 29. Atque ille quidem princeps ingenii et doctrinae Plato, tum denique fore beatas res publicas putavit, si aut docti ac sapientes homines eas regere coepissent, aut ii, qui regerent, omne sûum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc coniunctionem videlicet potestatis ac sapientiae saluti censuit civitatibus esse posse. Quod fortasse aliquando universae rei publicae nostrae, nunc quidem profecto isti provinciae contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studii fuisset et tem-
30. poris. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem túum accessit, idem ad salutem Asiae prorogatus esse videatur: quoniam[*que*] in te retinendo fuit Asia *felicior*,

tradita. — *praeterea nos isti.* Schütz., auctoritatem secutus Ernestii, qui v. *praeterea* hic frigide redundare monuit, dedit: *hoc nos isti.* At enim v. *praeterea* non sine aliqua vi addita videtur. — *sumus eruditi.* Ernest. recepit lectionem aliorum librorum: *simus erud.*, coniunctivum modum pendere ratus a *velimus;* quod non ita esse sponte apparet, et Schütz. ostendit. — *expromere* = in lucem proferre, adhibere, exercere.

X. §. 29. *Plato.* Sunt vv sqq. Socratis apud Platon. de republ. l. 5. p. 473 C. *ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς . . . οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν.* Rutil. Lup. 1, 6. Platonis dictum ita explicavit: »Si aut qui sapiunt, imperare, aut qui imperant, sapere discunt« ad quem l. v. Ruhnk. p. 21 sq. Cf. Val. Max. 7, 24. Appulei. de doctrin. Plat. p. 26 ed. Oudendorp.: »At enim rempublicam negat posse consistere, nisi is, qui imperitet, habeat sapientiae studium, aut is ad imperandum deligatur, quem esse inter omnes sapientissimum constet.« Lact. div. Inst. 3, 21: »At idem dixit, beatas civitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur.« — *collocassent.* Ernest.: *collocarent*, quia alioqui haec sententia non differret a verbis *docti ac sapientes homines*, quum tamen Cicero priori: »si aut philosophi regnarent«, posteriori autem sententia: »aut reges philosopharentur« exprimere vellet. — *aliquando universae reip.* Ciceronem h. vv. se ipsum et consulatum suum respicere non improbabile videtur. — *isti prov.* Asiae, cui tu praesis. — *et temporis.* Quod Lambin. addit: *collocatum*, non facile desiderasses.

§. 30. *quoniam[que];* copulam *que* addi voluit Schütz., praeeuntibus

quam nos in deducendo, perfice, ut laetitiâ provinciae desiderium nostrum leniatur. Etenim si in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus: multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes.
Equidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi 31.
ad te ante. Semper eos putavi, si vulgares essent, viles: si temporis causa constituerentur, leves: si vero — id quod ita factum est — meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in iis honoribus tuendis operam esse ponendam. Quare quoniam in istis urbibus cum summo imperio et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas et in deorum numero collocatas vides: in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas saluti, ut te parentem Asiae et dici et haberi velis.

Faërno et Malaspina. — *deducendo* = in enitendo, ut e provincia Romam posses reverti, ut tibi succederetur. — *laetitiâ provinciae* de praeclara tua administratione. — *ut tibi tant. honor. hab.* Provinciales suis rectoribus, si aliquam modo justitiam et benevolentiam ipsis praestarent, summos honores habebant; praesertim Asia, serviliter blandiens, aras, templa diesque festos eis consecrabat; veluti Q. Mucio Scaevolae annuum festum *Mucia*, Lucullo *Lucullea*. De Quinto v. supra §. 26 et mox §. sq. Cf. Lips. Elect. 1, 14. et Mongault sur les honneurs divins rendus aux gouverneurs des provinces in: Mémoires de l'Acad. des belles lettres Vol. 1. — *haud scio an nem* sc. habiti sint. v. Zumpt. §. 354 et 721.

§. 31. *in iis honor. tuendis.* Vulg. *in his honor. tuendis*, quam probat Wopkens lectt. Tull. p. 359. Schütz. cum aliis omisit v. *honoribus*, ut inculcatum, et h. l. et paulo ante §. 30, ubi legitur: *in his honoribus tuendis.* — *tuendis*, conservandis, ut eis dignum te praestes. — *Equidem.* Ern. Schütz. *Et quidem;* minus commode. — *vulgares essent* = vulgarentur, cum quolibet communicarentur. — *temporis causa*, i. e. eo tempore, quo quis provinciae praeest, nimia assentatione habiti. Cf. supra §. 15. — *leves* = parvi momenti, haud magni aestimandi. — *summo imperio* civili, non militari, quod alias saepe proconsulibus et propraetoribus, qui *cum imperio esse* dicebantur, competebat; Quintus autem exercitum non habebat; v. supra §. 4 sq. — *tuas virtut. consecr.* Intell. iustitiae, pietati, clementiae etc. apud Graecos templa fuisse constituta. — *Id*

XI. 32. **Atque huic tuae voluntati ac diligentiae difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si adversamur, ordinem de nobis optime meritum et per nos cum re publica coniunctum et a nobis et a re publica diiungemus; sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus. Haec est una, si vere cogitare volumus, in toto imperio tuo difficultas. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coërcere, juris aequabilem tenere rationem, facilem se in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque praebere praeclarum magis est, quam difficile. Non est enim positum in labore aliquo, sed in**
33. **quadam inductione animi atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiae tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis iniuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro, quid sociis**

aut. sc. quod debes tantis honoribus. — *incommod. hominum.* Ursin. emendavit *omnium,* qua coniectura facile caremus.

XI. §. 32. *Atque h. t. v.* Part. *atque (ac)* initio periodi posita transitum parat ad novam sententiam, quae cum antecedentibus cohaerens singula quaedam definita aut contraria exponit, ita ut nostro: *Und nun, nun aber, freilich, indessen,* respondeat. — *diiungemus.* Vulg. *disiungemus.* Bentivogl. ad h. l. haec adnotat: „*Dis* et *di* praepositio idem valet, et compositione solum variatur. Ante *i*, *di* malunt, quam *dis* critici (excepto tamen *disiicio*); et ut *diiudico*, sic *diiungo* dici melius ajunt. Hoc loco quidem, et in ep. ad div. I, 7 init. I, 9 sub init. *diiungo* in optimis membranis legi affirmat Cellarius in sua Orthogr.“ — *ord. de nobis optim. mer.*, equestrem, ex quo erant publicani, et qui in coniuratione Catilinae Ciceronem assidue defendebat. De re v. ep. ad Att. 1, 17. §. 9. — *obsequemur.* Alii: *obsequimur.* Orell. malit utrobique fut. legere: *adversabimur ... obsequemur.* — *eos perire pat.*, Asianos nimiis publicanorum vexationibus. — *esse abstinentem.* v. de h. v. quae Doederl. synonym. pars 2. p. 211 disputat. — *facilem se. Se* dedit Schütz: pro *te*; illud pronomen requiritur propter anteced. *suos.* — *inductione animi* = proposito, consilio.

§. 33. *illa causa,* agendi ratio in exercendis vectigalibus. — *in portoriis It. tollendis.* Haec portoria anno superiori 694 a Q. Caecilio Metello Nepote praetore, Q. Metello Celere fratre ejus et L. Afranio Css., quum aerarium praeda a Pompeio capta admodum esset auctum, lege Caecilia de jure Italiae sublata erant, qua in re Caesar maxime contenderat, ut ab Italis gratiam iniret. Cf. ad Att.

accidat in ultimis terris, quum audierim in Italia querelas civium. Hic te ita versari, ut et publicanis satisfacias, praesertim publicis male redemtis, et socios perire non sinas, divinae cuiusdam virtutis esse videtur, id est, tuae. Ac primum Graecis, id quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi Romani suis institutis per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt, quod iis aequaliter Sulla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Graecos quam nostros publicanos hinc intelligi potest, quod Caunii nuper omnesque ex insulis, quae erant ab Sulla Rhodiis attributae, confugerunt ad senatum, nobis ut potius vectigal quam Rhodiis penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere, qui semper vectigales fuerunt; neque ii aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt; neque ii recusare, qui postulaverunt. Simul et illud 34.

2, 16, 1. — *ultimis (terris)* h. l. idem quod: remotissimis. — *Hic* = in hac causa, hac rerum conditione, ut Graec. *ἐνταῦθα*. — *ita versari* = ita te gerere. — *publicis male redemtis* i. e. vectigalibus nimium magno conductis. Cf. ad Att. 1, 17, 9. Suet. Iul. 20: »Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit: ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit.« — *Publica* i. e. vectigalia, quae a censoribus publicanis licitantibus locabantur. — *perire* nimia publicanorum avaritia. — *id est, tuae.* Orell. ad h. l. dicit: »Urbanissima haec vocab. delevit Schütz, uncis inclus. Matthiae, Bent. Recte defendit Censor Ienensis.« Cf. quae de h. vv. dixi ad Q. Cic. de Pet. Consul. §. 55 p. 71. — *per se ipsi ita fuer.* i. e. quum liberi et suis legibus utentes nondum sub imperio Rom. essent, hi Asiani nostrorum publicanorum similes ex sua gente habuere. — *sine publicano* i. e. sine publicanorum auxilio. — *aequaliter,* in capita, quo facilius sine publicano exigi posse videbatur. — *Sulla descripserat,* distribuerat. Viginti millia talentorum Graecis Asiaticis, propterea quod Mithridatem auxilio iuverant, Sullam imperasse, illos hanc pecuniam immensi foenore mutuatos esse a suis publicanis, qui hoc vectigal exigerent, Plutarch. narrat in Lucull. c. 20. — *Caunii,* incolae Cauni oppidi maritimi in Caria. v. Plin. h. n. 5, 28. — *Rhodiis attributae* = cum Rhodiorum civitate ita iunctae, ut illis vectigal penderent. — *nobis,* nostris publicanis. — *qui semper vectigales fuerunt* = qui, etiam quum liberi essent, vectigal pendebant. — *per se* = sine publicanorum auxilio. — *postulaverunt* nostros publicanos a senatu.

Asia cogitet, nullam a se neque belli externi neque domesticarum discordiarum calamitatem afuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. Id autem imperium quum retineri sine vectigalibus nullo modo possit, aequo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium.

XII. 35. Quod si genus ipsum et nomen publicani non iniquo animo sustinebunt, poterunt iis consilio et prudentia tua reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii et liberationem molestiae. Potes etiam tu id facere, quod et fecisti egregie et facis, ut commemores, quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio ac vi potestatis et fascium publicanos cum Graecis gratia atque auctoritate coniungas. Sed et ab iis, de quibus optime tu meritus es et *qui tibi* omnia debent, hoc petas, ut facilitate sua nos eam necessitudinem, quae est nobis cum publicanis, obti-
36. nere et conservare patiantur. Sed quid ego te haec hortor, quae tu non modo facere potes tua sponte sine

§. 34. *pacem sibi sempitern. atque otium.* Wieland. ad h. l. adnotat, Ciceronem videri esse oblitum, quot mala in bello Mithridatico Asianis essent perferenda.

XII. §. 35. *reliqua*, ut vectigalium exactio. — *Possunt* provinciales, Asiani. — *legem sp. censoriam.* Lex censoria h. l. est edictum censorum, quo vectigalia locabantur, et res conditionesque locationum publicarum, atque exigendi ratio proponebatur, ne conductores nimia acerbitate et avaritia socios perderent. v. Gell. 15, 11. Heinecc. antiqq. p. 37. Sensus loci est: Quum lex censoria sociorum potius quam publicanorum commodis consuleret, indeque ex hac lege in ipsos iniquiore publicani cum Asianis pactiones facere nollent; possunt, inquit Cicero, provinciales ita cum publicanis de modo, de re, de tempore pactiones facere, ut non spectent conditiones, quae in locatione vectigalium a censoribus restricte et definite sunt praescriptae, sed ut negotium facilius et commodius conficiant et liberentur molestia, quam capiunt ex eo, quod fere quotidie appellantur atque exigendis vectigalibus urgentur, usuris exhauriuntur etc. — *hoc petas* quasi mercedis loco. — *facilitate sua* erga publicanos, non acerbius aut obstinatius contra eos agendo.

§. 36. *te haec hortor.* De duplici accus. v. Ramsh. §. 131. n. 2.

cuiusquam praeceptis, sed etiam magna iam ex parte perfecisti? Non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimae et maximae societates: quod quidem mihi idcirco iucundius est, quod idem faciunt Graeci. Difficile est autem, ea, quae commodis, utilitate et prope natura diversa sunt, voluntate coniungere. At ea quidem, quae supra scripta sunt, non ut te instituerem, scripsi — neque enim prudentia tua cuiusquam praecepta desiderat — sed me in scribendo commemoratio tuae virtutis delectavit: quamquam in his literis longior fui, quam aut vellem aut quam me putavi fore.

Unum est, quod tibi ego praecipere non desinam, XIII. 37.
neque te patiar — quantum erit in me — cum exceptione laudari. Omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiam. Quod vitium quum in hac privata quotidianaque vita levis esse animi atque infirmi videtur, tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturae adiungere. Quare illud non suscipiam, ut, quae de iracundia dici solent a doctissimis hominibus, ea nunc tibi exponam, quum et nimis longus esse nolim, et ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere: illud, quod est epistolae proprium, ut

Grotef. §. 217 et Q. Cic. de pet. Cons. p. 36. — *societates* publicanorum, qui in societates dispertiti vectigalia conducebant. V. pro Planc. 13. Ep. ad div. [illegible], 9. — *ea*. Neutrum pro mascul. *eos*, nimirum publicanos et socios. — *natura*, ingenio, indole, moribus. — *voluntate* = benevolentia, amore.

XIII. §. 37. *ita ... commemorant* = ita laudibus efferunt. — Quae Cicero hac § et sq. de *iracundia* dicit, verissima sane et ex natura animi humani ducta sunt. Cf. de off. 1, 29. §. 102. — *levis*, inconsiderati; *infirmi*, qui sui non compos sit, qui se regere et continere nesciat. — *acerbitatem naturae* i. e. iracundiam. — *a doctiss. hom.* v. c. ab Aristotele in ethicis, Platone in Philebo et l. 4 de rep. — *illud q. est ep. pr.* Delerunt pron. *illud* Ern. et Schütz, quia ea sit perpetua forma elegantiae Ciceronianae, ut *illud* vel *id* in una parte periodi, deinde *quod* in altera ponat. Male; quum hac voce, quae sequitur sententia, clarius fortiusque efferatur

**is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, cer-
38. tior fiat, praetermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes fere deferunt, nihil, quum absit iracundia, te fieri posse iucundius: sed, quum te alicuius improbitas perversitasque commoverit, sic te animo incitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare, quoniam in eam rationem vitae nos non tam cupiditas quaedam gloriae, quam res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit; caveamus, quantum efficere et consequi possumus, ut ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque ego nunc hoc contendo, quod fortasse quum in omni natura, tum iam in nostra aetate difficile est, mutare animum et si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere: sed te illud admoneo, ut, si hoc plene vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur, ut te ante compares quotidieque meditere resistendum esse iracundiae; quumque ea maxime animum moveat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam: quae quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non irasci. Nam illud est non solum gravitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis: moderari vero**

— *epistolae proprium,* de quo v. ep. ad div. 2, 4. pr. — *ignorat* Ernest. malebat *ignoret;* absque necessitate.

§. 38. *fieri* = esse, ut gr. γίγνεσθαι ponitur pro εἶναι. — *te .. commoverit* = iram tuam excitaverit. — *rationem vitae,* vitae genus reipublicae dicatum, te quidem in administrationem provinciae, me autem rei publ. — *res ipsa,* status et conditio rerum nostrarum. — *ut ne.* Lamb. omisit *ut.* Cf. Zumpt §. 347 not. — *mutare,* sc. omnino et subito. — *evellere* radicitus. — *plene vitare.* Ernest. et Schütz. tacite, nullo libro auctore, dederunt *plane vitare.* — *ut se ante comp.* Coniunctionem *ut,* quae iam ante *ut si hoc plene* aderat, eleganter repetitam, quando multa interponuntur, uti apud Cic. Acad. 4, 45, 139. de Finn. 3, 13, 43. pro Planc. 38, 92 (Coll. Xenoph. anab. 7, 4, 5.) perperam omisit Lambin. — *se comparare* = munire, firmare, tegere contra rem. V. Nep. Thrasyb. 2. Liv. 38, 12 extr. — *gravitatis* = aequabilitatis animi, constantiae laudabilis, — *lentitudinis,* nimiae patientiae s. lenitatis, ἀοργησίας, in qua vitium continetur, cuius segnities quaedam naturae causa est. Cf.

et animo et orationi, quum sis iratus, aut etiam tacere et tenere in sua potestate motum animi et dolorem, etsi non est perfectae sapientiae, tamen est non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multo te esse 39.
iam commodiorem mitioremque nuntiant. Nullae tuae vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullae contumeliae perferuntur: quae quum abhorrent a literis, ab humanitate, tum vero contraria sunt imperio ac dignitati. Nam, si implacabiles iracundiae sint, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa levitas: quae tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda est.

Sed, quoniam primus annus habuit de hac repre- XIV. 40
hensione plurimum sermonis — credo propterea, quod tibi hominum iniuriae, quod avaritiae, quod insolentia praeter opinionem accidebat et intolerabilis videbatur — secundus autem multo lenior, quod et consuetudo et ratio et, ut ego arbitror, meae quoque literae te patientiorem lenioremque fecerunt: tertius annus ita debet esse emendatus, ut ne minimam quidem rem

Cic. Tusc. 4, 19: »Peripatetici virum videri negant, qui irasci nesciat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso *lentitudinis* nomine appellant.«

§. 39 *commodiorem* = moderatiorem, sedatiorem, quum nec facile in rebus levibus, nec nimis irascaris. — *an. concitationes.* Cf. Tusc. 5, 15, 15. — *literis* = doctrina, cultura ingenii. — *contr. sunt imp. ac dign.*, imperantem s. magistratum dedecent. — *summ. levitas,* quae tribuitur omnibus vehementibus et inanibus cupiditatibus et perturbationibus animi, propterea, quod in his nulla est constantia, nulla gravitas. Cf. Ern. cl. Cic. s. v. — *ut in malis,* in quibus minus maiori praestat.

XIV. §. 40. *de hac reprehens.* i. e. de vitio iracundiae, quam in te reprehendebant. — *iniuriae, avaritiae;* al. *iniuria, avaritia,* quae lectiones inde natae esse videntur, quod verb. *accidebat et int. videbatur* numero singulari sequitur; de quo vid. Grotef. §. 194. add. 2. — *accidebat.* Ernest. suspic. *acciderat;* at singula illa: *ini., av., ins.* eodem tempore, quo Quintus concitabatur iracundia, durabant; id quod ex seq. v. *consuetudo* apparet, quo Cicero significat, fratrem quotidie has perversitates videre indeque iam illis assuefactum esse. — *praeter opin.*, secus atque exspectasti. — *fecerunt.* Ern. coniecit: *fecerant;* minus bene, quum scriptor ἀοριστῶς Quintum patientiorem etc. factum esse dicat, neque tantum elapsum tempus respiciat. — *emendatus* = vitiis carens s. liber.

41. quisquam possit ullam reprehendere. Ac iam hoc loco non hortatione neque praeceptis, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum, curam cogitationemque tuam ponas in omnium laude undique colligenda. Quod si in mediocri statu sermonis ac praedicationis nostrae res essent, nihil abs te eximium, nihil praeter aliorum consuetudinem postularetur. Nunc vero propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem et magnitudinem, nisi summam laudem ex ista provincia assequimur, vix videmur summam vituperationem posse vitare. Ea nostra ratio est, ut omnes boni quum faveant, tum etiam omnem a nobis diligentiam virtutemque et postulent et exspectent, omnes autem improbi, quod cum iis bellum sempiternum suscepimus, vel minima re ad reprehendendum contenti esse vi-
42. deantur. Quare, quoniam eiusmodi theatrum † est totius, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur: contende, quaeso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse videare.

§. 41. *non hort. neq. praec, sed prec. tecum fr. ago* i. e. non te hortor, neque tibi praecipio, sed fraterne te precor. — *Quodsi in med. stat. serm. ac praedicat. nostr. res essent* i. e. quodsi conditio rerum nostrarum mediocris ac quotidiana esset, de qua siletur, neque, ut supra dixit, sempiternus hominum sermo futurus esset. — *praeter al. cons.* = quam quod ab aliis postulari solet. — *ratio* = conditio, status rerum nostrarum.

§. 42. *theatrum † est totius.* Orell. ad h. l. adnotavit: »Fortasse nihil excidit, sed corrupta sunt vv. *est totius*; ita ut fuerit: *Quare, quoniam eiusmodi theatrum es sortitus.*« Ern. legit: *Quare quoniam eiusmodi theatrum est totius Asiae,* et sane sine postremo verbo lectio vulg. sensu foret destituta. Schütz. et Lünem. cum Victorio scripserunt: *Quare quoniam theatrum tuis virtutibus est datum,* omisso *eiusmodi,* quod v. iudice Orellio sanissimum est. — *celebritate* = frequentia spectatorum. — *signif. vocesque,* declarationes plausus seu favoris, quae propriae theatri sunt. *Significationes,* ἐπισημασίαι, applausus. Vid. ad Att. 1, 16, 11; 14, 3. pro Sext. 49. 57 extr. 59. Liv. 31, 15 in. — *his rebus,* celebritate, magnitudine, eruditione Asiae, omnino hoc theatro hisque significationibus.

Et quoniam mihi casus urbanam in magistratibus XV. 43.
administrationem rei publicae, tibi provincialem dedit;
si mea pars nemini cedit, fac, ut tua ceteros vincat.
Simul et illud cogita, nos non de reliqua et sperata
gloria iam laborare, sed de parta dimicare: quae quidem
non tam expetenda nobis fuit, quam tuenda est.
Ac, si mihi quidquam esset abs te separatum, nihil
amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iam partus
est. Nunc vero sic res sese habet, ut, nisi omnia tua
facta atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego
me tantis meis laboribus tantisque periculis, quorum tu
omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. Quod
si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus praeter
ceteros adiuvisti: certe idem, ut id retineamus,
praeter ceteros elaborabis. Non est tibi his solis utendum
existimationibus ac iudiciis, qui nunc sunt, hominum,
sed iis etiam, qui futuri sunt: quamquam illorum
erit verius iudicium, obtrectatione et malevolentia liberatum.
Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi 44.
soli gloriam quaerere: quod si esset, tamen non negligeres,
praesertim quum amplissimis monumentis consecrare
voluisses memoriam nominis tui: sed ea tibi
est communicanda mecum, prodenda liberis nostris.

XV. §. 43. *si mea pars nemini cedit* i. e. si meas partes administrandae rei publicae in urbe tam praeclare ago, quam ullus alius. — *si mea pars;* ita Schütz. de Malaspinae sententia pro vulg. *et si.* — *de reliqua* i. e. de futura, quae paranda est. Ita Cic. pro Sext. 34: »spe reliquae tranquillitatis« Nep. Themist. 2: »non praesenti bello, sed etiam reliquo tempore.« — *de parta* = de ea, quam habemus, retinenda. — *tuenda* = conservanda rebus bene agendis — *hoc statu, qui mihi iam part. est,* i. e. hoc rerum mearum fastigio, in quod escendi. — *Non est tibi h. s utendum exist. ac iud.* i. e. non hae solum existimationes ac iudicia (fama secunda ac favor) tibi respicienda sunt, s. curae esse debent. — *sed iis etium* i. e. sed iis etiam iudiciis hominum, qui fut. sunt. Lamb coniecit *sed eorum etiam,* ut supra *horum* pro *his solis.* V. Orell. — *verius iud.* indeque minus a te verendum Manut., qui se non intelligere ait, quid afferat ad sententiam v. *quamquam,* malebat *quoniam* vel *namque.*

§. 44. *amplissimis monum.* Cf. supra §. 26 et 31. — *voluisses* = permisisses, passus esses. Marcus autem Cicero haec monu-

In quo cavendum est, ne, si negligentior fueris, non solum tibi parum consuluisse, sed etiam tuis invidisse videaris.

XVI. 45. Atque haec non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur. Facies enim perpetuo, quae fecisti, ut omnes aequitatem tuam, temperantiam, severitatem integritatemque laudent. Sed me quaedam tenet propter singularem amorem infinita in te aviditas gloriae: quamquam illud existimo, quum iam tibi Asia, sicut uni cuique sua domus, nota esse debeat, quum ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse, quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias et tibi non sine cuiusquam exhortatione in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui, quum tua lego, te audire, et qui, quum ad te scribo, tecum loqui videor: idcirco et tua longissima quaque epistola maxime de-
46. lector et ipse in scribendo sum saepe longior. Illud te ad extremum et oro et hortor, ut, tamquam poëtae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui tamquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videa-

menta accipienda non putavit. — *In quo cav. est.* Ita Ernest. coniecit, quem secuti sunt Schütz. et Lünem. pro vulg. *In qua* sc. gloria; quae durior est ratio. — *non solum.* Haec verba omissa in nonnullis libris scriptis impressisque. Orell. conferri iubet Garaton. ad Philipp. T. 2. p. 491; ad Fam. 13, 64, 2. ubi itidem *non solum* omittitur, et quae contra ipse notavit ad Oratoris §. 227 ed. min.

XVI. §. 45. *infinita in te aviditas gloriae.* Ursinus coniecit: *amorem in te, infinita aviditas gloriae,* quod Orellio magis placet, quam Gesneri suspicio parum probabilis: *infinita tuae avid. gl.* At nulla omnino emendatione locus egere videtur; vv. *in te* valent: in eo, quod ad te attinet, in tua persona, cf. supra ad §. 17; ita ut sit sensus: avidissime cupio te gloriam consequi. — *ad laudem* i e. ad laudabilem provinciae tuae administrationem. — *exhortatione* dedit Orell. ex cod. Med. pro vulg. *hortatione.*

§. 46. *industrii* h. l. idonei, boni. — *tamq. tertius actus.* Orell. ad h. l. »Fuerunt«, inquit, »qui *extremus* v. *ultimus actus* vellent. Sed cf. *Lange Vindic. trag. Rom.* p. 46.« Manutius his verbis locum

tur. Id facillime facies, si me — cui semper uni magis, quam universis, placere voluisti — tecum semper esse putabis et omnibus iis rebus, quas dices ac facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut valetudini tuae, si me et tuos omnes valere vis, diligentissime servias. Vale.

EPISTOLA II.

Scripta mense Novembri A. U. C. 695. (a. Chr. 59), iisdem consulibus.

Argumentum. De Statii, Quinti liberti, adventu, hominumque de eo sermonibus 1—3; de Graecorum provincialium adversus Quintum querelis, suoque eos placandi studio 4—5; de Romanis negotiatoribus Quinto iratis 6; se nihil in Quinto, nisi orationis acerbitatem, iracundiam, et literarum ad alios missarum indiligentiam reprehendisse 7; itaque ut eiusmodi epistolas tollat, fratrem hortatur 8—9; Lucii Flavii praetoris designati querelas exponit 10—11; obiurgationes suas excusat 12; Attali Iphemeni, et Aesopi tragoedi negotium commendat 13—14; statum rei publicae exponit, suamque spem rei adversus Clodium bene gerendae demonstrat 15—16.

MARCUS Q. FRATRI S.

Statius ad me venit a. d. VIII. Kalend. Novembr. I. 1.
Eius adventus, quod ita scripsisti, direptum iri te a tuis, dum is abesset, molestus mihi fuit. Quod autem

explicare conatur: »Quintus, non tertius, extremus in comoediis est actus, isque perfectior et ornatior videtur; hic tertium annum imperii, quasi ultimum actum in fabula accipit, quando in administratione provinciae ultimus est; sit, inquit, ita ultimus annus in provincia perfectus, ut est ultimus actus in fabula.« Quae explicatio nobis minus arridet, quam quod Matthiae ad h. l. dicit, Ciceronem non ad fabularum divisionem in quinque actus, sed ad eam respexisse videri, qua tres partes habent: πρόλογον, ἐπεισόδιον, ἔξοδον, de qua v. Aristot. de poët. 12. — *val. tuae . . . servias* i. e. consulas, operam des. Cf. supra §. 27. Cic. de Orat. 2, 80: servire brevitati; pro Rosc. Amer. 15. ep. ad div. 5, 21 extr. Tuscul. 5, 3 extr. et nos ad Q. Cic. de pet. Consul. §. 50 p. 64. — *Vale,* vulgo omissum.

EPISTOLA II.

I. §. 1. *Statius,* Quinti libertus, qui nimia apud eum gratia valeret. V. ad Att. 2, 18 extr. et 19 init. — *direptum iri te a tuis.*

exspectationem tui concursumque eum, qui erat futurus, si una tecum decederet neque ante visus esset, sustulit; id mihi non incommode visum est accidisse. Exhaustus est enim sermo hominum et multae emissae iam eiusmodi voces, ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν· quae
2. te absente confecta esse laetor. Quod autem idcirco a te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit. Primum enim nunquam ille mihi fuit suspectus: neque ego, quae ad te de illo scripsi, scripsi meo iudicio, sed quum ratio salusque omnium nostrûm, qui ad rem publicam accedimus, non veritate solum, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, non mea iudicia perscripsi. Qui quidem quam frequentes essent et quam graves, adventu suo Sta-

Quia Statio sibi fidelissimo rerum domesticarum curam commiserat, verebatur, ne, dum is abesset, servi sui, quidquid possent, interverterent aut diriperent. — *exspectat. tui*, Schütz. correxit: *exspectat. sui*, hoc sensu: »propterea eum venisse laetor, quod, si una tecum decederet neque ante visus esset, magna eius exspectatio et concursus ad eum videndum futurus fuisset: quod tibi non posset esse non molestum«; addit Sch.: »Parum honorifice de fratre suo dicturus fuisset Cicero, si *omnem eius* exspectationem sublatam esse diceret.« At hoc non dicit Cicero, sed tantummodo exspectationem et concursum *malevolorum*, qui Statium, antea servum, nunc nimis gratiosum Quinti libertum, simul cum ipso Romam redeuntem videre voluissent, sublatam laetatur. Quare lectio *exspectat. tui* proba videtur. Nam quum Statius venisset ante Quintum, exspectationem huius eatenus sustulit, quatenus sine Quinto non sperabant, fore ut possent videre libertum ejus. — *visus esset* sc. Romae. — *et multae emis. iam eiusm. voces.* Ad h. vv. repetendum esse *exhaustae sunt*, bene monet Orell. Vulgo legitur: *multis*. — *ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα.* Sunt verba Polyphemi apud Hom. Odyss. 9, 513 sq. irati, quod ab homine tam pusillo tamque imbecillo sit excaecatus, quum a magno aliquo ac formoso viro se id passurum suspicaretur. Indicant h. l. non esse Statium talem, qualem putassent. Haec ideo de Statio dicta esse, quia Quinti παιδικά s. amasius fuerit, neque satis formosus videretur delicatulis Romanis, quae Wielandii sententia est, nescio quam verum sit. — *confecta* exhausta, absumta.

§. 2. *purgare* = innocentiam suam probare. Cf. Q. Cic. de pet. Cons. p. 46. — *meo iudicio* = mea sententia, sed ob hominum sermones. Cf. ad Att. 2, 19 init. — *ratio* h. l. utilitas, commodum, *Interesse*. — *fama niteretur*. Ex fama enim, qua quis fruitur apud alios sapientis viri atque integerrimi, oritur in populis persuasio obedientiae, sine qua nemo populos regere potest. — *Qui quidem* sc. sermones. — *iniquorum* = eorum, qui tibi minus

tius ipse cognovit. Etenim intervenit nonnullorum querelis, quae apud me de illo ipso habebantur: et sentire potuit sermones iniquorum in suum potissimum nomen erumpere. Quod autem me maxime movere sole- 3. bat, quum audiebam illum plus apud te posse, quam gravitas istius aetatis et imperii prudentia postularet — quam multos enim mecum egisse putas, ut se Statio commendarem? quam multa autem ipsum ἀφελῶς mecum in sermone ita protulisse?: »id mihi non placuit: monui, suasi, deterrui:« quibus in rebus etiam si fidelitas summa est — quod prorsus credo, quoniam tu ita iudicas — tamen species ipsa tam gratiosi liberti aut servi dignitatem habere nullam potest. Atque hoc sic habeto — nihil enim nec temere dicere nec astute reticere debeo — materiam omnem sermonum eorum, qui de te detrahere vellent, Statium dedisse: et antea tantum intelligi potuisse, iratos tuae severitati esse nonnullos: hoc manumisso, iratis, quod loquerentur, non defuisse.

bene cupiunt. — *in suum pot. nom. erumpere* i. e. in se praecipue emitti, se perstringere.

§. 3. *Quod autem.* Faërnus, quia non perspiciebat sequens ἀνακόλουθον, coniecit *Quod item.* Sententia ita decurrere debebat, ut post v. *deterrui* sequeretur *hoc erat, quia his in rebus.* — *istius aet.* Ita Schütz., Lambinum secutus, pro vulg. *illius aetatis.* Bentivogl. male haec duo verba ad Statium refert. — *mecum egisse,* ex me petiisse. — *ipsum* Statium. — ἀφελῶς, simpliciter, ingenue, quo se prodidit. — *ita protulisse,* ut probaret, quantum apud te valeret. — *quibus in rebus.* Sic hunc locum, qui gratissimum continet ἀνακόλουθον, distinguendum esse recte vidit Orell., quoniam, uti liquet ex vco. *ita,* vv. *id mihi non placuit ... deterrui* (sc. Quintum), non M. Ciceronis, quemadmodum accepisse videntur ceteri, (*deterrui* Statium), sed Statii sunt. Vulgo legitur: *Quod autem ... postularet (quam multos ... ita protulisse) id mihi ... deterrui. Quibus in rebus* cet — *quibus in rebus* respicit verba, quibus Statius, tanquam Quinto superior, usus erat. — *quon tu ita iud.* Vide quae fratri manumissum Tironem gratulatus scripsit Quintus (ad div. 16, 16): »Si enim mihi Statii *fidelitas* et frugalitas est tantae voluptati« etc. — *species ipsa* = sola cogitatio. — *sic habeto* = scito. — *eor. qui de te detrah. vell.* detrectatorum, vituperatorum tuorum. — *vellent* dedit Ern. coniectura pro vulg. *velint,* ut statim sequitur *loquerentur.*

II. 4. Nunc respondebo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Caesius — cui, quoniam ita te velle intelligo, nullo loco deero — quarum altera est de Blaudenio Zeuxide, quem scribis certissimum matricidam tibi a me intime commendari. Qua de re et de hoc genere toto, ne forte me in Graecos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. Ego quum Graecorum querelas nimium valere sentirem propter hominum ingenia ad fallendum parata: quoscunque de te queri audivi, quacunque potui ratione placavi. Primum Dionysopolitas, qui erant inimicissimi, lenivi: quorum principem Hermippum non solum sermone meo, sed etiam familiaritate devinxi. Ego Apamensem Hephaestum, ego levissimum hominem, Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnaeum, ego nugas maximas omni mea comitate complexus sum, Nymphontem etiam Colophonium. Quae feci omnia, non quo me aut ii homines aut tota natio delectaret: pertaesum est levitatis, assentationis, animorum non officiis, sed tem-
5. poribus servientium. Sed, ut ad Zeuxim revertar: quum is de M. Cascellii sermone secum habito, quae

II. §. 4. *L. Caesius* de cohorte Q. Ciceronis praetoria. Vid. ep. 1. §. 14. — *Blaudenio,* ex urbe Blaudo in Phrygia. — *certiss. matricid.* concise dictum pro: licet certissimum sit, eum esse matricidam. — *de hoc genere toto,* cur tam multos Graecos tibi commendaverim. — *tam ambitiosum factum* = tantopere ambire s. captare gratiam hominum Graecorum in tuo imperio. — *nimium valere* sc. Romae. — *ad fall. parata* i. e. astuta, ingeniosa ad fingendum et persuadendum iis, apud quos queruntur. — *Dionysopolitas,* ex urbe Dionysopoli in magna Phrygia, quae nomen tenebat a Dionyso s. Baccho. Vulg. editur: *Dionysipolitas.* — *inimicissimi.* Quod vulgo additur v. *mei,* ex geminatione ultimae syllabae ortum, Schütz., auctore Manutio, exclusit. — *Apamensem,* ex Apamea urbe, ad Orontem sita, in Apamene, parte Syriae septentrionalis. — *Antandrium* ex Antandro, in Mysia Idae monti adiacente. — *nugas maximas.* Abstractum pro concreto: homines levissimos, infimae conditionis nulliusque pretii. — *Colophonium,* ex Colophone in Ionia. — *non quo.* Vid. Zumpt. §. 536 sq. — *levitatis, assentationis, animorum.* Schütz. de Ernest. coniectura dedit: *levitatis et assentationis hominum.* — *non officiis, sed temp. servientium,* i. e. qui, neglecto officio, temporum causa omnia faciunt.

§. 5. *M. Cascellii,* hominis Romani, qui in provincia Quinti

tu scribis, ea ipsa loqueretur, obstiti eius sermoni et hominem in familiaritatem recepi. Tua autem quae fuerit cupiditas tanta, nescio, quod scribis cupisse te, quoniam Smyrnae duo Mysos insuisses in culeum, simile in superiore parte provinciae edere exemplum severitatis tuae et idcirco Zeuxim elicere omni ratione voluisse: quem abductum in iudicium fortasse dimitti non oportuerat; conquiri vero et elici blanditiis, ut tu scribis, ad iudicium, necesse non fuit; eum praesertim hominem, quem ego et ex suis civibus et ex multis aliis quotidie magis cognosco nobiliorem esse prope quam civitatem suam. At enim Graecis solis indulgeo. 6.
Quid? L. Caecilium nonne omni ratione placavi? quem hominem! qua ira! quo spiritu! Quem denique praeter Tuscenium, cuius causa sanari non potest, non mitigavi? Ecce supra caput homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus: etiam is lenietur. Cuius tu in patrem quod fuisti asperior, non reprehendo: certo enim scio te fecisse cum causa. Sed

negotiabatur, et huic iniquus fuisse videtur. — *loqueretur* = vulgaret ubique. — *obst. ei. serm. et h. in fam. rec.* i e. sermonem eius eo occlusi, quod inter familiares meos eum recepi. — *duo Mysos.* Alii: *duos M.* » *Duo* pro *duos* tralaticium est in multis locis. Hic autem concinnius propter concursum duorum *os* evitatum. « Bentivogl. — *insuisses in culeum,* quod supplicium parricidarum fuisse notum est. V. pro Rosc. Amer. 25. de Inv. 2, 50. Orat. 30, 107. Brut. 90. Off. 2, 14, 18. Senec. Clem. 1, 23. Sueton. Aug. 33. Iuv. 8, 214. Pandect. 48, 9, 9. — *elicere,* sc. blanditiis, uti statim dicit, i. e. insidias struere, ut captaretur. — *dimitti* = absolvi, liberari iudicio. — *oportuerat.* Sic cod. Med. Est, notante Orellio, ex eo genere (v. *aequius fuerat* et similium), de quo disputavit Gernhard ad *Lael.* Exc 1. Vulgo: *oportuerit.* — *ad iudicium,* i. e. ut in iudicium adduceretur. — *civitatem suam,* Blaudum urbem.

§. 6. *L. Caecilium,* negotiatorem, Quinto iratum. — *Tuscenium,* quem epist. anteced. §. 19. hominem furiosum ac sordidum dixerat. — *cui. caus. sanari non potest,* quippe in quem severius animadvertisti. Cf. supra ep. 1. §. 19. — *supra caput,* sc. adstat, prope adest, imminet, impendet = mihi molestus est, nunc cum maxime me vexat. Cf. Liv. 3, 17 init. Sall. Cat. 52, 24, ubi v. Cort. Virg. Aen. 3, 194. — *equestri censu,* non ex equestri ordine, sed qui censum equestrem i. e. quadringenta millia nummûm possidet. —

quid opus fuit eiusmodi literis, quas ad ipsum misisti? »illum crucem sibi ipsum constituere, ex qua tu eum ante detraxisses: te curaturum, fumo ut combureretur, plaudente tota provincia.« Quid vero ad C. Fabium nescio quem? — nam eam quoque epistolam T. Catienus circumgestat —: »renuntiari tibi Licinium plagiarium cum suo pullo milvino tributa exigere.« Deinde rogas Fabium, »ut et patrem et filium vivos comburat, si possit: sin minus, ad te mittat, uti iudicio comburantur.« Hae literae abs te per iocum missae ad C. Fabium, si modo sunt tuae, quum leguntur, invidiosam atrocitatem verborum habent. Ac, si omnium
7. mearum praecepta literarum repetes, intelliges esse nihil a me nisi orationis acerbitatem et iracundiam et, si forte, raro literarum missarum indiligentiam reprehensam. Quibus quidem in rebus si apud te plus auctoritas mea, quam tua sive natura paullo acrior sive quaedam dulcedo iracundiae sive dicendi sal facetiaeque valuisset, nihil sane esset, quod nos poeniteret. Et mediocri me dolore putas affici, quum audiam, qua sit existimatione Vergilius, qua tuus vicinus C. Octa-

ad ipsum filium. — *fumo ut comb*, i. e. ut ad stipitem ligatus fumo ex humidis lignis facto necaretur. Cf. Lamprid. Alexand. Sev. 36. Lipsius de Cruce 3, 10. — *Quid vero,* sc. opus fuit eiusmodi literis, quas *ad C. Fabium* misisti? — *plagiarium,* qui sciens homines liberos aut servos alienos dolose allectat, emit venditque. V. Pandect. 21, 17. 47, 2. leg. 48 et 52. 49, 15, 16. Hoc loco eum designat, qui alios vexat, diripit spoliatque. — *pullo milvino,* i. e. filio rapaci, comite in rapinis, cuius pater milvus i. e. rapacissimus est. Cf. Plaut. Poen. 5, 5, 13: *metuo milvos.* Pseud. 3, 2, 62: *coquus milvinis unguibus.* — *tributa exigere,* quae quasi dominus imperaret exprimeretque. — *iudicio* = re iudicata, sententia lata. — *si modo sunt tuae,* hoc addit, quia Quintus interdum scribendarum epistolarum copiam servis faciebat anulumque ad eas obsignandas dabat; v. ep. anteced. §. 13.

§. 7. *raro* iungendum cum *reprehensam.* — *literarum missarum indiligentiam,* i. e. incautam literas scribendi rationem. — *reprehensam.* Expectaveris *reprehensum;* at *nihil nisi* idem est quod *nonnisi* s. *tantum.* — *valuisset.* Ita Schütz. ex coniectura Ernest. pro vulg. *valuissent;* pendet enim h. v. ex *auctoritas mea.* — *quum audiam.* Ern. susp. *q. audio.* — *Vergilius.* Vulg. *Virgilius.* *C. Vergilius,* propinquus Curionis, Quinti Ciceronis in praetura collega, et tum

vius? Nam si te interioribus vicinis tuis, Ciliciensi et Syriaco anteponis, valde magnum facis! Atque is dolor est, quod quum ii, quos nominavi, te innocentia non vincant, vincunt tamen artificio benevolentiae colligendae, qui neque Cyrum Xenophontis neque Agesilaum noverint: quorum regum summo in imperio nemo unquam verbum ullum asperius audivit. Sed haec a principio tibi praecipiens, quantum profecerim, non ignoro.

Nunc tamen decedens — id quod mihi iam facere III. 8.
videris — relinque, quaeso, quam iucundissimam memoriam tui. Successorem habes perblandum: cetera valde illius adventu tua requirentur. In literis mittendis (ut saepe ad te scripsi) nimium te exorabilem praebuisti. Tolle omnes, si potes, iniquas, tolle inusitatas, tolle contrarias. Statius mihi narravit scriptas ad te solere afferri, ab se legi: et, si iniquae sint, fieri te certiorem; antequam vero ipse ad te venisset, nullum delectum literarum fuisse: ex eo esse volumina

temporis, sicuti eo anno, quo M. Cicero exulavit, Siciliae propraetor. Noluit eum, quamvis amicum, Clodii minis territus, recipere; v. pro Planc. 40. ad Att. 12, 51. 13, 26. — *tuus vic. C. Octavius*, Macedoniae, Asiae proximae, praetor. vid. ad §. 26 epist. anteced. — *interioribus*, in ipsa Asia, cuius partem administrant. — *Cil. et Syr.*, propraetoribus Ciliciae et Syriae. Hanc tum temporis regebat Lucius Marcius. Philipp. 11, 12. — *valde mag. facis;* ironice pro: non magnopere te extollis. — *is dolor est* = id me dolore afficit. — *Cyrum Xen. neq. Agesil.*, qui tanquam exempla rectorum a Xenophonte, quem tu assidue semper legisti, proponuntur. Agesilaus, ut ait Suidas, in ore erat rhetorum declamantium. — *summo in imperio*, quod tamen in Agesilao aliud erat quam in Cyro, sua quippe prudentia partum. Spartae enim ephori quoque magistratum gerebant, quorum iussis dicto audiens fuit Agesilaus. v. Nep. Agesil. 4, 2.

III. §. 8. *decedens* de provincia. — *successorem*, quis fuerit ignotum. — *requirentur* = desiderabuntur. — *nimium exorabilem te praeb.* i. e. nimis facilem petentibus, id quod literae tuo nomine ad arbitrium petentium scriptae produnt. — *Tolle*, colligendo et supprimendo. — *iniquas*, quae contra ius aequumque, *inusitatas*, quae contra morem consuetudinemque praetoris scriptae sunt; *contrarias*, quarum altera alteri repugnat et in quibus tibi ipsi contradicis. — *scriptas*, a scribis tuis. — *ad te sol. aff.* Orell. coniecit: *ad se s. aff.* — *nullum delectum lit. fuisse*, i. e. omnes literas ad te allatas, sine discrimine obsignatas missasque esse. — *ex eo*, sc. tem-

9. selectarum epistolarum, quae reprehendi solerent. Hoc
de genere nihil te nunc quidem moneo; sero est enim:
ac scire potes multa me varie diligenterque monuisse.
Illud tamen, quod Theopompo mandavi, quum essem
admonitus ab ipso, vide per homines amantes tui, quod
est facile, ut haec genera tollantur epistolarum, pri-
mum iniquarum, deinde contrariarum, tum absurde et
inusitate scriptarum, postremo in aliquem contumelio-
sarum. Atque ego haec tam esse, quam audio, non
puto: et si sunt occupationibus tuis minus animadver-
sa, nunc perspice et purga. Legi epistolam, quam
ipse scripsisse Sulla nomenclator dictus est, non pro-
10. bandam; legi nonnullas iracundas. Sed tempore ipso
de epistolis. Nam quum hanc paginam tenerem, L.
Flavius, praetor designatus, ad me venit, homo mihi
valde familiaris. Is mihi, te ad procuratores suos li-
teras misisse; quae mihi visae sunt iniquissimae: ne
quid de bonis, quae L. Octavii Nasonis fuissent, cui
L. Flavius heres est, deminuerent ante, quam C. Fun-
danio pecuniam solvissent. Itemque misisse ad Apol-
lonidenses, ne de bonis, quae Octavii fuissent, demi-

pore, postquam ille venisset. — *selectarum*, ante ipsius adventum tuo nomine scriptarum, tuoque anulo obsignatarum.

§. 9. *Theopompo*, fuisse videtur ab epistolis Quinti. — *absurde* i. e. indecenter, ratione, quae praetoris dignitati parum convenit. — *tam esse.* Orell. ad h. l.: »Ita omnes Cdd. Lagomarsinii quoque. Ipse tamen suspicabatur excidisse *vitiosa* post *tam;* sine causa.« *Tam* enim aut idem est quod *talia, ita;* aut quae antecesserunt adiectiva, supplenda sunt ad hanc particulam. — *occupationibus tuis* i. e. a te nimis occupato. — *ipse*, sua manu suaque sponte, quum tu id non iussisses tuo tamen nomine. — *Sulla nomenclator*, a servis Quinti. De *nomenclatoribus* vide quae notavi ad Q. Cic. de pet. Cons. p. 36 et 42.

§. 10. *Sed tempore ipso de ep.*, i. e. opportune haec de epistolis parum caute et diligenter a te scriptis moneo. — *L. Flavius*, idem qui tribunus pl., Metello et Afranio Coss., rogationem agrariam ferebat, sed non perferebat. V. ad Att. 1, 18, 6. 19, 4. — *Is mihi.* Quaedam editt. vett. addunt: *ait* aut *inquit.* — *L. Octav. Nason.* negotiatoris Asiani. — *C. Fundanio*, amico Quinti, ut ex sqq. patet. — *Apollonidenses*, incolas Apollonidis, quae erat municipium Graecum Lydiae.

nui paterentur prius, quam Fundanio debitum solutum
esset. Haec mihi veri similia non videntur: sunt enim
a prudentia tua remotissima. Ne deminuat heres?
Quid si infitiatur? Quid si omnino non debetur? Quid?
praetor solet iudicare deberi? Quid? ego Fundanio
non cupio? non amicus sum? non misericordia mo-
veor? Nemo magis: sed via iuris eiusmodi est qui-
busdam in rebus, ut nihil sit loci gratiae. Atque ita,
mihi dicebat Flavius, scriptum in ea epistola, quam
tuam esse dicebat, te aut quasi amicis tuis gratias
acturum aut quasi inimicis incommodaturum. Quid 11.
multa? ferebat graviter; id vehementer mecum quere-
batur orabatque, ut ad te quam diligentissime scribe-
rem: quod facio et te prorsus vehementer etiam atque
etiam rogo, ut et procuratoribus Flavii remittas de
deminuendo et Apollonidensibus ne quid perscribas,
quod contra Flavium sit, amplius; et Flavii causa et
scilicet Pompeii facies omnia. Nolo medius fidius ex
tua iniuria in illum tibi liberalem me videri: sed [et]

deminuat, alienes hereditatem. — *infitiatur* quidquam deberi Fundanio. — *praet. solet iud.* Monet h. v. fratrem, contra consuetudinem eum fecisse, qui *iudicaverit deberi;* praetor enim non iudicabat i. e. cognoscebat, inquirebat; sed ius i. e. sententiam dicebat; iudicabant iudices a praetore dati, etiam iis de causis, in quibus diiudicari oportebat, petita pecunia deberetur necne. — *cupio* = bene cupio. Cf. Terent. Andr. 5, 4, 2. Caes. B. G. 1, 18. Verr. 2, 37. ad div. 13, 75. — *Nemo magis* sc. misericordia moveatur; respondet Marcus. — *grat. acturum* Flavii procuratoribus *aut incommodaturum,* prouti in hac re acturi sint. De v. *incommodare* i. e. negotia facessere, molestiam creare cf. Ter. Andr. 1, 1, 135. Cic. Quint. 16. Gell. 7, 17. Vulgata pro *incommodaturum* habet: *incommoda laturum;* Lambin. *incommoda illaturum.*

§. 11. *id vehem.* Bentivogl. cum Lamb. correxit: *idque vehementer.* Schütz. de Ernest. coniectura: *et vehementer.* — *remitt. de deminuendo* i. e. concedas s. permittas, ut de bonis Octavii deminuant. — *amplius; et Flavii caus.* Ita distinxit Orell.; vulgo *amplius* cum vv. sqq. iungitur. — *Pompeii,* quem Flavii studiosum fuisse, vel ex ep. ad Att. 1, 19, 4. colligi potest. — *facies* cum codd. et editt. dedit Orelli, ut nova sit sententia, pro vulg. *facias.* — *medius fidius* = ita me dius fidius (i. e. deus fidei) adiuvet, s. per deum Fidium. Cf. Plaut. Asin. 1, 1, 8. Varr. ap. Non. 8. n. 93. de L. L. 4, 10. Fest s. v. — *in illum* Fundanium. — *liberalem* in Flavium. — *sed [et] te oro, ut ipse.* Schütz de Faërni et Ern. sententia delevit

te oro, ut ipse auctoritatem et monumentum aliquod decreti aut literarum tuarum relinquas, quod sit ad Flavii rem et ad causam accommodatum. Fert enim graviter homo et mei observantissimus et sui iuris dignitatisque retinens se apud te neque amicitia nec iure valuisse: et, ut opinor, Flavii aliquando rem et Pompeius et Caesar tibi commendarunt: et ipse ad te scripserat Flavius et ego certe. Quare si ulla res est, quam tibi me faciendam petente putes, haec ea est. Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flavius et tibi et mihi quam maximas gratias agat. Hoc te ita rogo, ut maiore studio rogare non possim.

IV. 12. Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule valde molestum fuit. Literas ad te parum fraterne scripseram: quas oratione Diodoti, Luculli liberti, commotus, de pactione statim quod audieram, iracundius scripseram et revocare cupiebam. Huic tu epistolae
13. non fraterne scriptae, fraterne debes ignoscere. De Censorino, Antonio, Cassiis, Scaevola, te ab iis diligi, ut scribis, vehementer gaudeo. Cetera fuerunt in eadem epistola graviora, quam vellem: ὀρθὰν τὰν

et lectionis vulgatae, quae post *ut* addit *tu*, ex geminatione ortum. — *auctoritatem ... decr. aut lit.* i. e. decretum aut literas, quae valent ad faciendam fidem. — *relinquas;* tempus enim decessionis instabat, quum annuum praetoris imperium ultra Decembrem mensem non produceretur. — *sui iuris dign. retinens,* qui non patitur, quidquam de suo iure dignitateque detrahi. — *ego certe* = ego omnino; me scripsisse certo scio. — *Hoc te ita rogo* cet. Cf. quae ad h. l. adnotavit Wieland., qui ex tota rei narratione colligi posse dicit, hanc causam Flavii aequam iustamque non fuisse, illumque noluisse Fundanio solvere, quod ei a defuncto Octavio deberetur.

IV. §. 12. *Hermia* servo Ciceronis. — *de pactione.* Manut. ad h. l. addit: »inter Graecos et publicanos a te facta.« Sed res, quam tangit Cicero, ex hoc uno verbo perspici nequit. — *statim quod* = simulac. Ita saepe *quod* post adverbia temporis ponitur. V. Terent. Heaut. 1, 1, 2. Plaut. Amphit. 1, 1, 146. — *revocare* tabellario iam datas.

§. 13. *Cassiis* dedit Orell. pro vulg. *Cassio.* — *in eadem epistola,* qua Quintus se fratri purgarat. — *graviora quam vellem* i. e. aegrius meas admonitiones, quas tu obiurgationes dicis, tulisti gravioribusque verbis retudisti quam vellem. — ὀρθὰν τὰν ναῦν.

ναῦν, et ἅπαξ θανεῖν. Maiora ista erunt. Meae obiurgationes fuerunt amoris plenissimae, quae sunt nonnulla, sed tamen mediocria et parva potius. Ego te nunquam ulla in re dignum minima reprehensione putassem, quum te sanctissime gereres, nisi inimicos multos haberemus. Quae ad te aliqua admonitione aut obiurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meae, in qua et maneo et manebo, et, idem ut facias, non desistam rogare. Attalus Hyphemenus me- **14.**
cum egit, ut se ne impedires, quo minus, quod ad Q. Publiceni statuam decretum est, erogaretur: quod ego te et rogo et admoneo, ne talis viri tamque nostri necessarii honorem minui per te aut impediri velis. Prae-

Videtur alludere ad sententiam illam Teletis ap. Stobaeum c. 106: εὖ ἴσθι, Ποσειδᾶν, ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδώσω, quam Seneca ep. 85 latine reddit, ubi: *Gubernator tibi non felicitatem promisit*, inquit, *sed fidelem operam et navis regendae scientiam; haec eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit; qui hoc potuit dicere: »Neptune, nunquam hanc navem nisi rectam«, arti satisfecit; tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum.* Cf. etiam Quinctil. 2, 18, 24. *notum illud »dum clavum rectum teneam.«* Illo dicto boni gubernatoris, qui se vel maxima tempestate navem recte gubernaturum promittit, Quintus usus erat in epistola ad fratrem, ut se provinciam recte administraturum profiteretur. — ἅπαξ θανεῖν. Spectant haec verba ad Iûs apud Aeschylum in Prometh. vinct. v. 749: Κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν,
Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.
qua sententia Quintus indicarat, se mori malle, quam quotidie male audire. — *Maiora ista erunt.* Illis graecis versiculis quum Quintus usus esset, quo ostenderet, se obiurgationes fratris moleste tulisse, Marcus respondet: *maiora ista erunt*, i. e. (ut recte Orellius explicat): maioribus incommodis ista erunt reservanda. Schütz. suspicatus erat: *Maiora ista, quam meae obiurgationes fuerunt.* — *nonnulla ... mediocria ... parva.* Ita Orell. cum codd. editt., in qua lectione est enallage generis. Vulgo editur: *nonnullae, mediocres, parvae.* — *aliqua admon.* Lamb. *cum aliqua admonitione*, de qua varietate Orell. monet: Si *cum* excidit, erat potius post v. *aliqua.* — *propt. diligent. caut.* i. e. propterea quod me non satis cautum esse posse existimo. — *idem ut facias.* Edd. Rom. *id. ut tu fac.* Pron. *tu* necessarium esse ad oppositionem cum antecedente *maneo et manebo* faciendam, iudicat Bentivogl.

§. 14. *Hyphemenus.* Vulg. *Iphemenus.* — *Publicenus* nomen corruptum, utpote nec Graecum nec Romanum. Schütz. proposuit: *Q Publicii* vel *P. Globuli,* quorum ille praetor a. u. 688 (pro Cluent. 15), hic praetor Asiae a. u. 695 e gente Servilia (pro Flacc. 32, 34). — *quod ego* = propter quod s. propterea.

terea Aesopi [tragoedi], nostri familiaris, Licinius servus, tibi notus, aufugit. Is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit. Inde in Asiam venit. Postea Plato quidam Sardianus, Epicureus, qui Athenis solet esse multum et qui tum Athenis fuerat, quum Licinius eo venisset, quum eum fugitivum esse postea ex Aesopi literis cognosset, hominem comprehendit et in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam, an in pistrinum non satis ex literis eius intelligere potuimus. Tu, quoquo modo, quoniam Ephesi est, hominem investiges velim, summaque diligentia vel tecum deducas. Noli spectare, quanti homo sit: parvi enim pretii est, qui iam nihil sit: sed tanto dolore Aesopus est affectus propter servi scelus et audaciam, ut nihil ei gratius facere possis, quam si illum per te recuperarit.

V. 15. Nunc ea cognosce, quae maxime exoptas. Rem publicam funditus amisimus: adeo ut Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen civis Romanus et Cato, vix vivus effugeret; quod, quum Gabinium de ambitu vellet postulare, neque praetores diebus aliquot adiri possent vel potestatem sui facerent, in concionem escen-

v. *tragoedi*, quum Med. habeat *Aesopi nostri tragoedi*, suspectum est Orellio. De Aesopo cf. de Orat. 1, 61. Tusc. 2, 16. 4, 55. de divin. 1, 37. pro Sext. 58. — *Patronem Epicureum*, qui Phaedro successit; v. ad Att. 5, 11, 19. 7, 2. ad div. 13, 1 — *Sardianus* ex Sardibus, Lydiae urbe. — *comprehendit ... tradidit* = comprehendi, tradi iussit. — *Ephesi*, in qua urbe, capite Asiae provinciae, praeses habitare solebat. — *an in pistr.* Alii male: *vel in p.* Lamb. *in publicamne an in p.* quod necessarium non est. — *quoquo modo*. Nonnull. vett. editt. *quoquo modo est.* Bentivogl. maluit: *quoquo modo potes.* — *deducas* ex provincia Romam. — *q. i. nihil sit.* Ern. *q. i. nihili sit.* Orell. conf. iubet Tuscull. 3. §. 18 et 77. 4, 74. — *sed tanto dol.* cet. Haec altera periodi sententia, priori per *ἀνανταπόδοτον* iuncta est; exspectasses enim, quum *noli spectare* praecesserit, scriptorem illam sic absolvisse: *sed spectu, quanto dolore Aesopus sit affectus.*

V. §. 15. *exoptas* sc. cognoscere. — *C. Cato,* triennio post tribunus plebis rogationem de abrogando Lentulo imperio promulgavit; v. ad div. 1, 5. infra L. II. ep. 3, 1. — *effugeret.* Schütz. auctore Ernestio dedit *effugerit;* quem contra Orell. conferri iubet Hand. Tursellin. I, p. 140. — *Gabinium,* consulem designatum. — *in concionem escendit,* quam, privatus quum esset, aliquis magistra-

dit et Pompeium »privatum dictatorem« appellavit.
Propius nihil est factum, quam ut occideretur. Ex hoc,
qui sit status totius rei publicae, videre potes. Nostrae 16.
tamen causae non videntur homines defuturi. Mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur. Equidem quum spe sum maxima, tum maiore etiam animo, [spero] superiores fore nos: [confido animo], ut in hac re publica ne casum quidem ullum pertimescam: sed tamen se res sic habet. Si diem nobis [Clodius] dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus: sin autem vi agere conabitur, spero fore, studiis non solum amicorum, sed etiam alieno-

tus ei dare debebat; alioquin privatis concionari non licuit. — *escendit.*. Orell. auctoritate cod. Med. pro vulg. *ascendit.* — *privatum dictatorem.* Vulgo legebatur: *privatus dictatorem,* quasi Cato privatus Pompeium dictatorem dixisset. At enim Cato, qui optimatium partibus adhaerebat, Pompeii potentiam non facile augere voluisset, ut omittamus, *dictatorem appellare* pro *dicere* nusquam legi. Sensus contra est: Cato in concione invectus in Pompeium eum *privatum dictatorem* appellavit i. e. eum, qui, licet privatus esset, tamen dictatoris potentiam in re publica sibi arrogaret. — *Propius nihil est fact.* i. e. non multum abfuit quin.

§. 16. *Nostrae ... causae,* quae et rei publ. erat, nimirum accusationi Clodii, quod cives Romanos indicta causa capitis damnaverit. — *profitentur, off. se* sc. defensores. — *Equidem;* vulg. *Et quidem.* — *Spero superiores fore nos; confido animo.* Haec vv. cum Ursino delevit Schütz. ut insiticia. Orellius corruptum hunc locum aliquatenus sic sanari posse putat, ut deleantur gloss. *spero, confido animo,* quibus nonnulli videntur explere voluisse defectum, quem arbitrabantur inesse in verbis: *animo, superiores fore nos;* haec quoque tria verba *sup. fore nos* ut cum Ursino et Schütz. inducantur, opus non esse. Et sane v. *spero* interpretamentum vv. *spe sum maxima* esse videtur, et v. *confido,* ni perinde glossemate ad vv. *maiore etiam animo* inculcatum, certe cum altero v. *animo* transpositum est, ut legendum sit: *Eq. quum spe s. max., tum maiore etiam animo confido, superiores fore nos.* — *ut in hac re publica.* Schütz. auctoribus Manutio et Lambino edidit: *in hac re,* quia sermo sit de negotio, quod Clodius conflaturus erat Ciceroni, non de republ. Rectius Orell. codd. lectionem defendit et explicat: »quicunque nunc est et quocunque evasurus reipublicae status.« — *sed tamen.* Non erat, cur Wielandio h. vv. incongrua et interpolata viderentur, quippe quae per analepsin ad illa: *Nostrae tamen causae non videntur homines defuturi* remittant lectoris animum, quasi dicat Cicero: *sed, ne plura addam,* (s. *sed, ut ad nostram causam redeam*), *se res sic habet.* — *[Clodius]* omissum in duobb. codd. inclusit Orell. — *discedamus* ex iudicio. Cf. ad Q. Cic. de pet. Cons. §. 10. p. 18.

rum, ut vi resistamus. Omnes et se et suos liberos, amicos, clientes, libertos, servos, pecunias denique suas pollicentur. Nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri atque amore. Si qui antea aut alieniores fuerant aut languidiores, nunc horum regum odio se cum bonis coniungunt. Pompeius omnia pollicetur et Caesar: quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam. Tribuni pl. designati sunt nobis amici. Consules se optime ostendunt. Praetores habemus amicissimos et acerrimos cives, Domitium, Nigidium, Memmium, Lentulum; bonos etiam alios: sed hos singulares. Quare magnum fac animum habeas et spem bonam. De singulis tamen rebus, quae quotidie gerantur, faciam te crebro certiorem.

antiqua manus bonorum. sunt qui eum consulem strenue iuverant, quosque ad Att. 1, 19, 4. *consularem exercitum* vocat. — *fuerant.* Ern. susp. *fuerunt.* — *horum regum,* Pompeii, Caesaris et Crassi. Cf. ad Att. 2, 8, 1. — *et Caesar,* consul huius anni, qui Clodium iam ad plebem traduxerat. — *ut nih. de mea compar. dem.* i. e. ut haud negligentior sim in comparandis iis rebus, quae ad defensionem meam pertinent. Sic v. *comparatio* legitur pro leg. Manil. 4. pro Cluent. 67. coll. de Invent. 1, 11. Brut. 76. Wieland. h. v. significatione *similitudinis* ad praeced. *horum regum* refert; quod nobis minus placet. De re cf. ad Att. 2, 21, 6; 22, 2. — *Tribuni pleb. design.* Hi praeter Clodium erant: L. Mummius, L. Antistius, P. Aelius Ligus, Cn. Manlius, L. Novius, C. Claudius Marcellus, Q. Terentius Culeo, C. Alsius, Cn. Domitius Ahenobarbus. — *Consules* designati, Piso et Gabinius, qui tamen postea se non ita praestiterunt. v. ep. 4, 4. — *praetores* designatos. — *acerrimos civ.* i. e. optimates, reipubl. et senatus propugnatores. — *Domitium.* L. Domitium Ahenobarbum, Caesaris inimicissimum. Cf. ad Att. 1, 1, 3 sq. 8, 1, 8. Suet. Ner. 2. — P. *Nigidium* Figulum, Romanorum omnium praeter M. Varronem doctissimum. Cf. ad Att. 2, 2. 7, 24. ad div. 4, 13. pro Sull. 14. Rutgers. var. lectt. 3, 16. — C. *Memmium.* v. ad Att. 1, 18, 3. — L. Cornelium *Lentulum* Crus, qui aliquot annis post a. u. 705 consul fit cum C. Claudio Marcello; v. in Pison 31. ad div. 12, 14. 6, 21. — *alios,* quatuor reliquos praetores designatos, L. Flavium, T. Ampium Balbum, M. Terentium Varronem, M. Nonium Suffenatem. — *sed hos;* haec verba omissa in tribus codd. ap. Orell., ex cuius sententia sufficeret: *bon. et. alios, hos singulares.*

EPISTOLA III.

Scripta ab exsule Thessalonicae Idib. Iuniis A. U. C. 696 (a. Chr. 58) C. Iulio Caesare, M. Calpurnio Bibulo Coss.

Argumentum. Quod pueros ad Quintum sine literis miserit, id se non iracundia adductum fecisse nec, quod fratrem videre noluerit. Hortatur, ut se erigat et confirmet, si qua ei subeunda dimicatio fuerit 1—6. Denique gratias fratri pro oblatis facultatibus agit et, quibus potentium fidendum aut non credendum sit, monet 7—9. suosque fratris amori commendat 10.

MARCUS Q. FRATRI S.

Mi frater, mi frater, mi frater, tunc id veritus es, 1.
ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine literis miserim? aut etiam ne te videre noluerim? Ego tibi irascerer? tibi ego possim irasci? Scilicet, tu enim me afflixisti: tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te misere perdidi. Meus ille laudatus consulatus, mihi te, liberos, patriam, fortunas, tibi velim ne quid eripuerit, praeter unum me. Sed certe a te mihi omnia semper honesta et iucunda ceciderunt; a me tibi luctus meae calamitatis, metus tuae, desiderium, maeror, solitudo. Ego te videre noluerim? Immo vero me a te videri nolui. Non enim vidisses fratrem tuum; non eum, quem reliqueras; non eum, quem noras; non eum, quem flens flentem, prosequentem pro-

§. 1. *te vid noluerim,* de provincia decedentem. — *Scilicet,* i. e. scias licet, utique, maxime; sed haec, et quae statim sequuntur, συμπαθέστερον capienda esse monuit Manut. — *praeter unum me.* Vereor enim, ne qui consulatus mei gloriam mihi inviderunt, tibi quoque, praeter fratrem, liberos, patriam fortunasque eripiant. — *a me tibi luctus meae cal.* cet. quod meam calamitatem luges, quod tuam metuis, quod me absentem desideras etc. mihi acceptum referre debes. — *metus tuae,* ne eadem te quoque inimici nostri calamitate affligant. — *desiderium* mei absentis. — *maeror* ex mea calamitate. — *me a te vid. nolui.* Cf. ad Att. 3, 9 init. 3, 7, 3. — *reliqueras,* triennio ante in Asiam provinciam proficiscens. — *prosequentem.* Non solum propinqui, sed etiam amici proficiscentes ad provincias administrandas extra urbem prosequi solebant. Hinc ad

ficiscens dimiseras: ne vestigium quidem eius nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses aut audisses! utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae
2. superstitem reliquissem! Sed testor omnes deos, me hac una voce a morte esse revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse dicebant. Quare peccavi scelerateque feci. Nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet. Nunc commisi, ut me vivo careres, vivo me aliis indigeres: mea vox in domesticis periculis potissimum occideret, quae saepe alienissimis praesidio fuisset. Nam quod ad te pueri sine literis venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiam in causa, certe pigritia fuit et quaedam infinita vis lacrima-
3. rum et dolorum. Haec ipsa me quo fletu putas scripsisse? Eodem, quo te legere certo scio. An ego possum aut non cogitare aliquando de te aut unquam

Att. 4, 13, 2. Crassus dicitur *minore dignitate* profectus, quia nullo comitatu prosequentium exierat. — *simulacrum*, εἴδωλον, σκιάν, spectrum. Cf. ad div. 15, 16. Eurip. Phoeniss. 1568]: ἀφανὲς αἰθέρος εἴδωλον. — *spirant. mortui.* Similiter Sophocl. Philoct. 1017: ἐν ζῶσιν νεκρόν. — *prius,* quam qualis nunc sum. — *dignit. meae superst. reliq.* i. e. utinam ante huius calamitatis meae tempus obiissem, quum nondum dignitas mea plane concidisset.

§. 2. *a morte,* quam sibi ipse inferre voluit. De triplici consilio, antequam urbe cederet, Cicero cum amicis deliberavit, consereretne manum iure ferrove cum Clodio, an fuga sibi consuleret, an sese interficeret; v. ad Att. 3, 19. Lucullus ad certandum eum exhortatus est, Cato, Hortensius, Atticus et propinqui certamen devitandum censuerunt. Cf. Plut. vit. Cic. 31. Dio Cass. 38, 17. — *peccavi,* quod mihi ipse manus non intuli. — *occidissem,* ex codd. dedit Orell. pro vulg. *cecidissem.* — *pietat. . . . defenderet;* non enim me vivo careres, vivo me aliis indigeres. — *me vivo* i. e. licet vivam; vulg. *vivo me.* Bentivogl. coniecit: *me vivo, me careres;* absque necessitate. — *in dom. pericul.* i. e. quum mei periclitantur, ne accusentur. vid. ad Att. 3, 8, 2. infra §. 4. et de v. *periculum* sensu forensi cf. quae notavi ad Q. Cic. de pet. Cons. §. 49. p. 63. — *Nam quod.* Part. *nam* h. l. transitum parat. Cf. Cic. top. 2. Verr. 1, 57. 2, 59. 3, 85. ad Att. 10, 2 med. — *iracundiam in causa.* Plerique ap. Orell. codd, edittque: *iracundiae causa.* — *pigritia,* metus laboris (Tuscul. 4, 8.), Verdrossenheit, Unmuth, Unlust.

sine lacrimis cogitare? Quum enim te desidero, fra-
trem solum desidero? Ego vero suavitate prope ae-
qualem, obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi
sine te unquam aut tibi sine me iucundum fuit? Quid
quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua
modestia, quo ingenio! effigiem oris, sermonis, animi
mei! Quid filium venustissimum mihique dulcissimum?
quem ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo, sa-
pientiorem puerum quam vellem. Sentiebat enim miser
iam, quid ageretur. Quid vero tuum filium, imaginem
tuam, quem meus Cicero et amabat ut fratrem et iam
ut maiorem fratrem verebatur? Quid quod mulierem
miserrimam, fidelissimam coniugem, me prosequi non
sum passus, ut esset, quae reliquias communis cala-
mitatis, communes liberos tueretur? Sed tamen, quo- 4.
quo modo potui, scripsi et dedi literas ad te Philogo-
no, liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse:
in quibus idem te hortor et rogo, quod pueri tibi ver-
bis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas et pro-
peres. Primum enim te praesidio esse volui, si qui

§. 3. *suavitate prope aequalem.* Sic, notante Orell., Petrarca ep. 107. in codice suo legerat. Vulgata: *suavitate prope fratrem, prope aequalem.* Ern. dedit: *suavitate fratrem prope aequalem.* Schütz: *suavitate aequalem.* — *venustissimum mihique dulcissimum.* Illud adiectivum obiective, quod vocant, venustatem gratiamque, hoc subiective benevolentiam voluptatemque exprimit; v. Döderl. Synonym. P. 3. p. 35. — *sapientiorem,* quia intelligebat plus, quam puer; *quam vellem,* quia malebat pater filium non intelligere magnitudinem mali, ut minus doleret. *Ern.* — *ferreus* = durus, sensu carens. Cf. ad div. 15, 21; ad Att. 13, 30. Verr. 5, 46. Horat. od. 1, 3, 9. — *Sentiebat enim* indeque affligebatur. — *tuum filium, imaginem tuam* dedit Schütz. partim auctoribus Manutio et Lamb. In blanditiis est liberos parentibus quam simillimos dicere. Ernest.: *tuum filium? quid imaginem tuam.* — *quem m. C.* Ernest.: *quam meus Cic.,* perperam; nemo enim recte dicere potest: *quam imaginem meus Cicero amabat ut fratrem.* — *reliq. comm. calamitat.* Similiter Cic. Senect. 6: *avi reliquias* pro: reliquum bellum cum Carthaginiensibus gerendum; coll. Virg. Aen. 1, 30; 3, 87. Liv. 3, 58.

§. 4. *postea* i. e. postquam tu proximas ad me literas dedisti. — *Rom. prot. perg.* me non ante viso. — *te praesidio esse volui,* praesentem Romae, si inimici te accusarent.

essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata. Deinde congressus nostri lamentationem pertimui: digressum vero non tulissem; atque etiam id ipsum, quod tu scribis, metuebam, ne a me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malum, quod te non vidi, quo nihil amantissimis et coniunctissimis fratribus acerbius ac miserius videtur accidere potuisse, minus acerbum, minus miserum fuit, quam fuisset quum congressio, tum vero digressio no-
5. stra. Nunc, si potes, id quod ego, qui tibi semper fortis videbar, non possum, erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes habet auctoritatis, tibi et integritatem tuam et amorem in te civitatis et aliquid etiam misericordiam nostri praesidii laturam. Sin eris ab isto periculo vacuus, ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis. De quo scribunt ad me quidem multi multa et se sperare demonstrant: sed ego, quid sperem, non dispicio, quum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint: qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed, ista qualia sint, tu velim perspicias mihique declares. Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, vivam; diutius in hac vita esse non possum. Neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit susti-

§. 5. *dimicatio*, intell. repetundarum accusationem, quae ei impendebat; infra hac §: *si quid periculi subeundum videbis.* — *si q. m. spes hab. auctor.* i. e. si quid apud te valet hoc quod me sperare vides, tibi non vana videtur mea spes. — *isto per.* accusationis ob provinciam avare administratam. — *deseruerint,* nullo auxilio praestito, *prodiderint,* malo mihi inflicto. Cf. Phil. 10, 3, 7. Doederl. Synonym. P. 3. p. 290 sq. et de re v. ad Att. 3, 19. — *reprehens. sui sceleris,* quum, me restituto, magis etiam eorum iniquitas pateret. — *quamd. tibi op. erit* = quamdiu vita mea tibi utilitatem aliquam afferre poterit. — *prudentia a. doctr.,* philosophia practica aut theoretica, quas nos dicimus.

nere. Scio fuisse et honestius moriendi tempus et 6.
utilius: sed non hoc solum, multa alia praetermisi;
quae si queri velim praeterita, nihil agam, nisi ut au-
geam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. Illud
quidem nec faciendum est nec fieri potest, me diutius,
quam aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in
tam misera tamque turpi vita commorari: ut, qui modo
fratre fuerim, liberis, coniuge, copiis, genere ipso
pecuniae beatissimus, dignitate, auctoritate, existima-
tione, gratia non inferior, quam qui unquam fuerunt
amplissimi, is nunc in hac tam afflicta perditaque for-
tuna neque me neque meos lugere diutius possim.
Quare quid ad me scripsisti de permutatione? quasi 7.
vero nunc me non tuae facultates sustineant, qua in
re ipsa video miser et sentio, quid sceleris admiserim,
quum de visceribus tuis et filii tui satisfacturus sis,
quibus debes: ego, acceptam ex aerario pecuniam tuo
nomine, frustra dissiparim. Sed tamen et M. Antonio,
quantum tu scripseras, [et] Caepioni tantumdem solu-
tum est: mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo,

§. 6. *hon. mor. tempus.* Cf. ad Att. 3, 7, 2; 9, 2; ad div. 15, 4, 5. — *tuum tempus* i. e. tuum periculum. Cf. pro leg. Man. 1; pro Planc. 32. — *firma spes* reditus mei. — *genere ipso pecuniae* i. e. ut Ern. verbis utamur, quod copias suas non malis artibus compararat, sed parsimonia et hereditatibus, quae ei a viris bonis venerant benevolentiae causa et honoris. Manutius coniecit: *genero ipso, pecunia,* ut C. Pisonem generum suum significet; quae emendatio ideo minus probanda, quod commemorandi *generi* ante v. *copiis* locus fuisset; nec minus tum *pecunia* frigeret, quae in *copiis* intelligitur.

§. 7. *de permutatione* i. e. pecunia permutatione s. syngrapha sumta; v. ad div. 3, 5. ad Att. 5, 13. in Pis. 21. Quintus Marco fratri scripsisse videtur, se, quum ad urbem pervenerit, pecuniam hac via ei curaturum — *quid sceleris admiserim,* quod non Clodii furores vi repulisset, etiam cum mortis periculo, sed sponte Roma cessisset. — *visceribus* figurate pro: re familiari, copiis, facultatibus, bonis: Cf. pro dom. 47. *exstruxit villam visceribus aerarii.* — *accept, ex aer. pec.,* quae tibi Asiae praetori decreta erat; certam enim pecuniam provinciarum rectoribus respubl. numerabat. — *frustra dissip.* ad vitam sustentandam, in qua commorari haud necessarium censuit. — *[et] Caepioni.* Primus Lamb., ut monet Bentivogl., *et* ante v. *Caepioni* posuit; a libris abest. — *M. Antonio, Cae-*

satis est. Sive enim restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus est. Tu, si forte quid erit molestiae,
8. te ad Crassum et ad Calidium conferas, censeo. Quantum Hortensio credendum sit, nescio. Me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem incidi. Sed haec occultabis, ne quid obsint. Illud caveto: et eo puto, per Pomponium fovendum tibi esse Hortensium, ne ille versus, qui in te erat collatus, quum aedilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur. Nihil enim tam timeo, quam ne, quum intelligant homines, quantum misericordiae nobis tuae preces et tua

pioni, duobus Quinti creditoribus, quibus Marcus ante quam in exilium profectus est, satisfecerat. — *molestiae,* ut aliquis accusando tibi negotium facessat, te in iudicium vocet. Cf. ep. seq. §. 2. Ern. vero adnotavit: a creditoribus, qui dicuntur molesti esse, quum debitores appellant. — *conferas* auxilii causa, qui causam tuam defendant. — *Crassum,* triumvirum, qui postea a Parthis occisus est. — M. *Calidium,* qui fuit praetor anno proximo et de reditu Ciceronis legem promulgavit; v. in Sen. post. red. 9. Brut. 79 sq. Quinctil. inst. or. 10, 1, 23.

§. 8. *Sceler.. insid. tract.* Ciceronem h. l. iniuste accusare Hortensium, verosimillimum videtur. Cf. *Abeken* Cicero in sein. Briefen p. 115. — *Arrio,* de quo v. ad Att. 1, 17 extr. 2, 5 et 7. Hor. sat. 2, 3, 86. — Part. *eo* multis modis adhibetur. Si pro *ideo* accipias, huiusmodi exempla habes apud Terent. Hec. 2, 1, 41. et multa apud Plautum; melius est accipere pro *in eo. Bentivogl.* — *per Pomp.* Atticum, inter quem et Hortensium summa fuit amicitia. vid. Nep. Att. 5. — *qui in te erat coll.* i. e. tibi tanquam auctori tributus Eadem signif. h. v. legitur pro Planc. 14. ad div. 7, 32; 5, 5. Hoc versu, quem significat, Hortensius aut aliquis ex huius amicis irrisus esse videtur. Notum est Quinti poëtices studium. — *quum aed. petebas,* a. u. 688. Cf. ad Att. 1, 4 init. — *de lege Aurelia* iudiciaria (alia non exstat) L. Aurelii Cottae praetoris, Pompeio et Crasso II. Coss, ex qua lege Senatores, Equites et e plebe tribuni aerarii iudicarunt. Manutius, qui obscurum hunc locum aliter, neque tamen magis commode explicat, hac lege de ambitu aliquid sancitum fuisse censet. »Verebatur, inquit, ne Quintus frater de ambitu accusaretur, quod in petenda aedilitate pecuniam contra legem dedisset; quo tempore versus quidam in eum de lege Aurelia, qui ambitum notaret, conferebatur.« Tunc *conferre in aliq.* foret alludere, exprobare alicui. — *falso testimonio* Hortensii. — *confirmetur,* tanquam a te compositus.

salus allatura sit, oppugnent te vehementius. Messa- 9.
lam tui studiosum esse arbitror: Pompeium etiam simulatorem puto. Sed haec utinam non experiare! quod precarer deos, nisi meas preces audire desissent. Verumtamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint: in quibus non modo tamen nullius inest peccati infamia, sed omnis dolor est, quod optime factis poena maxima est constituta. Filiam meam et tuam Cicero- 10.
nemque nostrum quid ego, mi frater, tibi commendem? quin illud maereo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas afferet, quam mihi. Sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi salus aliqua detur potestasque in patria moriendi, ut me lacrimae non sinunt scribere! Etiam Terentiam velim tueare, mihique de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patietur. Idibus Iuniis, Thessalonicae.

tua salus i. e. quum tu salvus, iudicio repetundarum liber es. — *oppugn. te veh.*, acrius te urgeant, ne possis pro me deprecari.

§. 9. M. Valerium *Messalam*, Cons. biennio post Ciceronem; v. ad Att. 1, 12 extr. — *desissent*. Alii: *desiissent*. — v. *non modo*, delenda censebat Ernest.

§. 10. *afferet*. Alii: *affert*, quod, monente Bentiv., verum non est; non enim Romae erat Quintus. — *Reliqua* iungendum v. *scribere*. — *ita ... ut*. De hac affirmandi formula vide Ramsh. §. 166. 3. N. 2. — *Sis fortis*. Wieland. ad h. l. bene monet, Ciceronem eo ipso tempore familiares ut *fortes sint* hortari, quo sua ipsius desperatione eos debilitet inficiatque; hoc autem eius animi conditionis, in qua erat, proprium esse; et quisnam Ciceroni non ignoscat — hominem fuisse? — *patietur*. Ern. Schütz. aliique: *patiatur*. — *Thessalonicae*. Orell. suspicatur: *Thessalonicā*.

EPISTOLA IV.

Scripta Thessalonicae mense Sextili A. U. C. 696 (a. Chr. 58) iisdem consulibus.

Argumentum. Dolet sibi fidem amicorum, cautumque consilium defuisse 1—2; incertam spem salutis esse; etsi tribuni plebis partim sibi faveant 3. Petit, ut Quintus, quid sperandum sit, perspiciat, et ad se vere perscribat 4; hortatur, ut, si eum quoque inimici vexare coeperint, fortiter resistat 5.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Amabo te, mi frater, ne, si uno meo facto et tu et omnes mei corruistis, improbitati et sceleri meo potius quam imprudentiae miseriaeque assignes. Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiam, quibus ne id expedire quidem arbitrabar. Intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit aut mihi invidit; ita mihi nihil misero praeter fidem amicorum, cau-
2. tum meum consilium defuit. Quod si te satis innocentia tua et misericordia hominum vindicat hoc tempore

§. 1. *Amabo te* = audi sis, rogo te; quam formulam plerumque imperativus aut coniunctivus sequitur, rarius *ut* aut *ne*. V. infra l. 2, 10 extr. l. 3, 9, 4. ad Att. 2, 2. ad div. 15, 17. Praecipue sermoni quotidiano usitata fuit. Cf. Plaut. Menaechm. 2, 3, 71; 3, 3, 1. Cistell. 1, 1, 106. Trucul. 4, 4, 19. Ter. Eunuch. 1, 2, 70; 3, 3, 31. Similis est usus v. *στέργειν* apud Graecos; v. Sophocl. Oed. Col. 517: *στέρξον* (i e. *χαρίσαι*, *πείθου*), *ἱκετεύω*. — *facto. Factum* hic vocat, quod ad Att. 3, 14, 1. *peccata sua*, ad div. 14, 1, 1. *culpam suam* dicit, quod nimirum invidis Hortensio, Catoni aliisque potius crediderit et abire in exilium maluerit, quam vim vi repellere. v. Dio Cass. 38, 29. — *imprud. et mis.* Hendiadys pro: *imprudentiae ex miseria mea exortae.* — *putaram.* Ernest. et Schütz.: *putabam.* Licet Imperf. proxime sequatur *arbitrabar*, plusquamperfectum eo defendi potest, quod Cicero ante *putarat*, nefas esse se ab illis decipi, postea vero semper etiam *putabat*, hoc illis ne expedire quidem. Ita Cic. pro Quinct. 6. »Naevius iussit bona proscribi eius, quicum familiaritas *fuerat*, societas *erat*.« De re cf. 3, 8, 4; 9, 2. — *defuit* est emendatio Malaspinae pro vulg. *fuit*. Bentivogl. ad h. l. haec habet: »ita mihi nihil misero subsidio fuit: praeter fidem amicorum, etiam cautum meum consilium defuit. Sed si *nihil* tollis, omnia nobis faciliora videntur. Cf. ep. 70, 6. (ad Att. 3, 15, 5.)«

§. 2. *innocentia tua*, integritas in administranda Asia.

a molestia: perspicis profecto, ecquaenam nobis spes salutis relinquatur. Nam me Pomponius et Sestius et Piso noster adhuc Thessalonicae retinuerunt, quum longius discedere propter nescio quos motus vetarent. Verum ego magis exitum illorum literis, quam spe certa exspectabam. Nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione obtrectarorum, infidelibus amicis, plurimis invidis? De novis autem tribunis plebis est 3.
ille quidem in me officiosissimus Sestius et, spero, Curius, Milo, Fadius, Fabricius; sed valde adversante Clodio, qui etiam privatus eadem manu poterit conciones concitare, deinde etiam intercessor parabitur. Haec mihi proficiscenti non proponebantur: sed saepe 4.
triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus. Quid tu igitur? inquies. Quid? multa convenerunt, quae mentem exturbarent meam: subita defectio Pompeii, alienatio consulum, etiam praetorum, timor publicano-

a molestia, ne in iudicium repetundarum voceris a Clodianis. — *perspicis prof.,* quia tibi otium est de rebus nostris cogitandi. *Schütz.* — *P. Sestius,* tribunus pl. designatus. — C. Calpurnius *Piso* Frugi, Ciceronis gener, qui ante reditum illius obiit. Cf. ad Att. 1, 3 extr. — *retinuerunt* intell. *literis suis;* nam illi tres Romae erant. — *motus* urbanos, propter quos Ciceronem revocatum iri sperabant. Cf. ad Att. 3, 7, 3; 8, 3; 10 init.; 13 init. — *exitum illorum* motuum. — *inimico,* P. Clodio tribuno pl. — *obtrectatorum,* Pompeii, Caesaris et Crassi, qui Ciceronis dignitati obtrectantes Clodium foverunt. — *plurimis inv.,* vulgo editur: *pluribus inv.*

§. 3. *novis,* in annum sequentem designatis. — *et, spero,* Lamb. *et, ut spero.* — *Curius* dedit Schütz. de Pighii ad a. 696 sententia pro vulg. *Curtius.* Quod in edit. Orell. *Cursius* legitur, operarum error esse videtur. M'Curius quaestor urbanus Silano et Murena Css. deinde tribunus plebis P. Lentulo Spinthere et Caecilio Metello Css. — T. Annius *Milo,* quem postea oratione defendit. — T. *Fadius.* v. ad Att. 3, 23, 4. — *Q. Fabricius.* v. pro Sext. 35. Sic de Manutii sententia reposuit Schütz. pro vulg. *Gratidius.* Cf. Pigh. Annal. 8. p. 374. — *privatus,* post gestum tribunatum. — *eadem manu,* turba hominum. — *intercessor,* ex ipsis tribunis pl.

§. 4. *non propon.* Cicero equitum studiis confidebat, quorum etiam multitudo in Capitolium convenit, et legatos pro Cicerone ad consules et senatum misit. Dio Cass. 38, 16. — *Quid tu igitur?* credidisti, te triduo rediturum. — *ment. exturb. meam* de sede sua, i. e. omne mihi consilium eriperent. — Non erat cur Ernest emendare vellet: *conturbarent.* — *consulum,* Pisonis et Gabinii, qui se ante opitime ostenderant. v supra ep. 2, 16. — *etiam praetorum, timor*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM AD QUINTUM FRATREM
LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

Scripta Romae mense Decembri A. U. C. 697 (a. Chr. 57)
P. Cornelio Lentulo Spinthere, Q. Caecilio Metello Nepote Coss.,
quum mense Sextili restitutus esset.

Argumentum. Quinto fratri, qui tum in Sardiniam navigaturus et iam in itinere erat, narrat, quid in senatu sit actum, referente primum Lupo de lege C. Caesaris, qua agrum Campanum plebi dividendum esse tulerat 1; deinde Racilio de iudiciis, in causa Clodii de vi postulati, utrum ante an post comitia aedilitia habendis 2—3.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Epistolam, quam legisti, mane dederam. Sed fecit humaniter Licinius, quod ad me, misso senatu, vesperi venit, ut, si quid esset actum, ad te, si mihi videretur, perscriberem. Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri sub dies festos. Consulares nos fuimus et duo consules designati, P.

§. 1. *Licinius,* negotiator Asianus. — *sub dies festos.* A die XVII. Kal. Ian. ad usque fere extremum mensem Saturnalia, Opalia aliique dies erant festi. — *Consulares nos fuimus* cet. Schütz. locum sic ordinavit: *Consulares nos fuimus, P. Servil., M. Lucull., Lep., Volcat., Glabrio; duo consules designati, praetores.* Sed iam Manut. recte monuit, immiscere Ciceronem consules designatos consularibus. — *consules designati,* Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus et L. Marcius Philippus.

Servilius, M. Lucullus, Lepidus, Volcatius, Glabrio, praetores. Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos. Commorat exspectationem Lupus. Egit causam agri Campani sane accurate. Auditus est magno silentio. Materiam rei non ignoras. Nihil ex nostris actionibus praetermisit. Fuerunt nonnulli aculei in C. Caesarem, contumeliae in Gellium; expostulationes cum absente Pompeio. Causa sero perorata, sententias se rogaturum negavit, ne quod onus simultatis nobis imponeret. Ex superiorum temporum conviciis et ex praesenti silentio, quid senatus sentiret, se intelligere dixit. In illo coepit dimittere. Tum Marcellinus, »Noli, inquit, ex taciturnitate nostra, Lupe, quid aut probemus hoc tempore aut improbemus, iudicare. Ego, quod

P. Servilius Isauricus, consul a. u. 675 cum Appio Claudio Pulchro, pater eius qui novem annis post cum C. Caesare consulatum gessit. — *M. Lucullus* est M. Terentius M. F. Licinianus Varro Lucullus, consul a. u. 681 cum C. Cassio. — Manius Aemilius *Lepidus*, consul a. u. 688 cum L. *Volcatio* Tullo. — M'. Acilius *Glabrio*, consul a. u. 687 cum C. Calpurnio Pisone. — *praetores*, omnes affuerunt ideoque neminem ex iis nominavit. Fuerunt autem tum temporis omnino octo. v. Manut. ad h. l. — *frequent. fuimus: omn. ad ducentos*, qui *frequentes* nominantur non ex universi senatus numero, sed *frequentes* ut mense Decembre, quo multi senatores Roma excedere solebant. Nam ep. ad Att. 1, 14. affuisse 415 et in or. post red. in sen. 10. 417 dicit. — P. Rutilius *Lupus*, tribunus pl. (cf. ad div. 1, 1, 3; 2, 2.) senatum convocaverat, ut ageret causam *agri Campani*. C. Caesar enim in consulatu legem rogaverat, ut ager Campanus, et qui publicus erat, et qui possidebatur a privatis, plebi divideretur; divisitque ipse consul publicam eius agri partem; reliquum a privatis emi pecunia publica oportebat. Contra hoc in senatu disputavit Lupus. Cf. ad div. 1, 9, §. 8. 5. 9. *Abeken* Cicero in sein. Brieff. p. 81 sq. 149 sq. — *Materiam rei* i. e. quantam dicendi materiam illa res habeat. — *ex nostr. act.* laudavit omnia, quae egeram consul, ne ager Campanus P. Servilii Rulli lege veniret. — L. *Gellium*, qui a. u. 682 cum Cn. Cornelio Lentulo Clodiano consul fuit; vid. ad Att. 4, 3, 2. — *Pompeio*, quo consentiente ager Campanus a Caesare divisus est. — *absente*. Aberat rei frumentariae causa; v. ad Att. 4, 1, 6 sq. — *sententias se rog.* Senatum igitur habebat tribunus pleb., de quo v. ad §. seq. — *ne quod on. sim. nobis imp.* i. e. ne adversus voluntatem alicuius loquendo in simultates et inimicitias incideremus. — *conviciis* in eos, qui de agro Campano dividendo egerant. — *In illo* i. e. hoc dicto, his verbis. *In illo*, quod cod. Reg. apud Orell. habet, pro *Milo* reponendum esse, iam viderat Manut. — *Marcellinus*, consul designatus, v. ad Att. 4, 2, 4; 3, 3; ideo primus sententiam rogatur, uti mox sequitur.

ad me attinet itemque arbitror ceteros, idcirco taceo, quod non existimo, quum Pompeius absit, causam agri Campani agi convenire.« Tum ille se senatum nega-
2. vit tenere. Racilius surrexit et de iudiciis referre coepit. Marcellinum quidem primum rogavit. Is quum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit, ut ipse iudices per praetorem urbanum sortiretur; iudicum sortitione facta, comitia haberentur: qui iudicia impedisset, eum contra rem publicam esse facturum. Approbata valde sententia, C. Cato contra dixit et Cassius, maxima acclamatione senatus, quum comitia iudiciis
3. anteferret. Philippus assensit Lentulo. Postea Racilius de privatis me primum sententiam rogavit. Multa

itemque. Ita ex Cod. Med. dedit Orell. pro vulg. *idemque.* — *arbitror ceteros.* Bentivogl. malebat: *arbitror ad ceteros;* absque idonea causa. — *quum Pomp. abs.,* qui bello Mithridatico se suis militibus agrum Campanum divisurum ostenderat. — *tenere,* vox solennis in dimittendo senatu, quod fere fiebat his verbis: P. C., nemo vos tenet.

§. 2. L. *Racilius,* tribunus pleb. (v. ad div. 1, 7, 2.) senatum, Lupo dimittente, pro potestate tribunicia retinuit. Consulum huius anni non meminit Cicero, quia in provincias iam abierant; quibus tam absentibus quam praesentibus tribuni senatum convocabant, ad eum referebant, rogabant sententias cet. V. Dio Cass. 55, 4. Cic. de orat. 3, 1. pro Sext. 3. 11. ad Att. 10, 23; 11, 6. ad div. 1, 1. — *de iudiciis* habendis in eos, quorum nomina delata essent, maxime in Clodium, de vi reum (v. ep. ad div. 1, 9, 15.); quae iudicia ne fierent, tribuni pl. impediebant. — *de Clod. incend.* Cf. ad Att. 4, 2, 4. *Proposita Marcellini sententia* cet. — *ut ipse* Clodius. — *per praetorem urbanum,* praetoris urbani praesentis et sortitionem regentis opera et auctoritate. Manutius, quem conferas velim, mutandum censuit: *praetor urbanus;* sed tunc *ipse* friget. — *sortiretur* ex tribus populi ordinibus. — *comitia* aedilicia, quibus petebat Clodius, ut aedilis factus Milonis accusationem facilius eluderet. ad Att. 4, 3, 3: *Ille si comitia sua non fierent, urbi minari.* — *C. Cato,* tribunus pl., v. supra 1, 2, 15. ad div. 1, 1. infra 3, 4. — *C. Cassius* Longinus, tribunus pl. — *acclamatione* adversa, contra Cassium, qui comitia ante iudicia fieri vellet. De hac v. *acclamationis* potestate v. epist. 3. §. 2. de orat. 2, 83: *acclamatio adversa populi.* — L. Marcius *Philippus,* Octaviani vitricus, alter consulum designatorum. — *Lentulo* Marcellino, qui priore loco designatus consul (cf. supra §. 1 extr.) ideo priore etiam loco sententiam rogatus erat.

§. 3. *de privatis,* qui post omnes magistratus rogabantur. —

feci verba de toto furore latrocinioque P. Clodii: eum, tamquam reum, accusavi, multis et secundis admurmurationibus cuncti senatus. Orationem meam collaudavit satis multis verbis, non mehercule indiserte, Vetus Antistius: isque iudiciorum causam suscepit antiquissimamque se habiturum dixit. Ibatur in eam sententiam. Tum Clodius rogatus diem dicendo eximere coepit. Furebat a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum. Deinde eius operae repente a Graecostasi et gradibus clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sextilium et amicos Milonis incitatae. Eo metu iniecto, repente, magna querimonia omnium, discessimus. Habes acta unius diei: reliqua, ut arbitror, in mensem Ianuarium reiicientur. De tribunis pl. longe optimum Racilium habemus: videtur etiam Antistius amicus nobis fore: nam Plancius totus noster est. Fac, si me amas, ut considerate diligenterque naviges de mense Decembri.

secundis, assensum indicantibus. — *Vetus Antistius.* Ita legendum esse censuit Manutius (cf. ad Brut. ep. 11.) pro *Severus Antistius.* Tribunus fuisse videtur; cf. extr. §. — *antiq. se habit.* i. e. gravissimam, potissimam existimaturum. — *Ibatur in eam sent.* = assensum est ab omnibus huic sententiae, non discessione facta, quod alias *pedibus ire* in sententiam alicuius dicitur, quodque nonnisi rogatis omnium sententiis fiebat. — *diem dicendo eximere* i. e. consumere. Quum senatoribus liceret qualibet de re et quamdiu vellent dicere, hac potestate nonnunquam abutebantur, longaque oratione diem consumebant, ne quid contra suam voluntatem decerneretur. Cf. ad Att. 4, 3 med. Liv. 1, 80 extr. Plin. ep. 5, 21. Gell. 4, 10. — *urbaneque* i. e. adsperso multarum facetiarum sale. Emendatio igitur esse videtur lectio aliorum: *inurbaneque.* — *Graecostasi.* Locus fuit excelsus ad dextram comitii prope curiam Hostiliam, ubi legati externarum gentium, inprimis Graecorum, senatus decreta exspectantes commemorabantur; v. Varro L. L. 4, 32. Plin. H. N. 33, 1 med. — *gradibus*, quibus ad curiam adscendebatur. — *Q Sextilium*, ducem factionis Milonianae, ut videtur. — *in mens. Ian. reiicientur*, quia ex octodecim diebus mensis Decembris reliquis quatuor tantum erant (fasti), quibus senatus haberi liceret; quinque dies festi, novem comitiales. v. Manut. ad h. l. — Cn. *Plancius*, h. a. tribunus pl., qui quaestor Macedoniae optime de Cicerone exule meruerat. v. ad Att. 3, 22, 1; ad div. 14, 1, 3. — *de m. Dec.* Cf. de hoc praepos. usu Zumpt. §. 308. — Quintus in Sardiniam transmittere constituerat, quo rei frumentariae causa legatus a Pompeio missus erat. Cf. ep. seq. init.; ep. 3 extr.; 6 extr.; ad div. 1, 9, 9.

EPISTOLA II.

Scripta Romae XIV. Kal. Febr. A. U. C. 698 (a. Chr. 56) Cn. Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo Coss.

Argumentum. Excusat epistolam non sua manu scriptam, rariusque literas ad fratrem datas; de Lentuli et Sesti nominibus exigendis, et Pomponianis inde dissolvendis; de Culleonis auctione 1; de fratris aedificatione, et furiosae Clodii aedilitatis exspectatione 2; de causa Ptolemaei regis in Aegyptum reducendi 3; denique fratrem, ut quam primum e Sardinia redeat, rogat 4.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Non occupatione, qua eram sane impeditus, sed parvula lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistolam et non, ut ad te soleo, ipse scriberem. Et primum me tibi excuso in eo ipso, in quo te accuso: me enim nemo adhuc rogavit, num quid in Sardiniam vellem: te puto saepe habere, qui: num quid Romam velis, quaerant. Quod ad me de Lentuli et Sestii nomine scripsisti, locutus sum cum Cincio. Quoquo modo res se habet, non est facillima, sed habet profecto quiddam Sardinia appositum ad recordationem praeteritae memoriae. Nam, ut ille Gracchus augur, posteaquam in istam provinciam venit, recordatus est, quid sibi in campo Martio comitia consulum habenti contra auspicia acci-

§, 1. *in eo ipso*, literarum infrequentia. — *Sardiniam* v. ep. super. extr. — *de Lentuli et Sestii nomine*, de pecunia tibi debita a P. Lentulo Spinthere et P. Sestio exigenda, et Attico, cui tu debes, solvenda. — *Cincio*. L. Cincius Attici negotia Romae procurabat. V. ad Att. 1, 1; 7; 8; 16 extr.; 4, 4. — *appos. ad record. praet. mem.* i. e. quod maxime valet ad excitandam earum rerum memoriam, quarum obliti sumus. — Tib. Sempronius *Gracchus*, Caii et Tiberii pater, proconsul in Sardinia recordatus, in designatione consulum non recte a se augure et consule tabernaculum esse captum, de hac re ad augurum collegium misit; augures ad senatum retulerunt, qui ut consules abdicarent censuit; id quod factum est. v. Cic. N. D. 2, 4. de divin. 1, 17. Val. Max. 1, 1, 3; Plut. Marcell. p. 100. — *comitia consulum habenti*, cum esset iterum consul cum M. Iuventio Thalna, et quidem priore loco creatus, qui comitia consulibus sequentis anni rogandis habere solebat.

disset: sic tu mihi videris in Sardinia de forma Numisiana et de nominibus Pomponianis in otio recogitasse. Sed ego adhuc emi nihil. Culleonis auctio facta est. Tusculano emtor nemo fuit. Si conditio valde bona fuerit, fortassis non omittam. De aedificatione tua Cy- 2.
rum urgere non cesso. Spero eum in officio fore. Sed omnia sunt tardiora propter furiosae aedilitatis exspectationem. Nam comitia sine mora futura videntur: edicta sunt a. d. XI Kal. Febr. Te tamen sollicitum esse nolo. Omne genus a nobis cautionis adhibebitur. De rege Alexandrino factum est senatus con- 3.
sultum, cum multitudine eum reduci, periculosum rei

accidisset; nimirum extra pomoerium, indeque vitio tabernaculum ceperat. — *de forma Numisiana.* Sic Orell. cum codd. pro vulg. *de forma Minutiana.* Significare videtur Cicero formam (Grundriss, Plan, cf. Gell. 19, 10, Hand. ad Stat. Silv. I. 3. 9, p. 362.) aedificii, quod Quintus in Palatio loco prioris exstrui volebat, a Numisio architecto factam. V. ep. seq. §. 7; 4, §. 2; 6, §. 3. — *de nominibus Pomponianis,* de pecunia quam debes Attico. — *Sed ego adhuc emi nihil.* Haec vv. Schütz. post v. *Culleonis auctio facta est* ponenda censuit. Orell. vero ad h. l. si quidquam mutandum, inquit, *sed* poterit deleri, ut facile ortum ex geminatione syllabae praeced. — *Culleonis auctio.* Culleonis mortui bona haeredes auctione vendiderant, praeter Tusculanum, cui nemo emtor fuit, quodque Cicero, auctore fortasse fratre, emere voluit, ut suo Tusculano praedio propinquo adderet. — *Tusculano,* Culleonis, non Ciceronis, qui consilium Tusculani sui vendendi (ad Att. 4, 2, 7.) postea mutavit. — *conditio,* emendi Tusculani.

§. 2. *Cyrum* architectum. v. ep. ad Att. 2, 3, §. 2. ad div. 7, 14. pro Milon. 17. — *fur. aedilitatis,* quam Clodius petebat. — *comitia* aedilicia, quibus Clodius omnium suffragiis aedilis factus est. — *edicta sunt,* edicto consulum Marcellini et Philippi. — *a. d. XI Kal. Febr.* Comitia aedilicia, quae ex more anno superiore fieri debebant, eo usque tracta erant, quia Marcellinus aliique iudicium Clodii de vi ante comitia fieri voluerant, Clodius vero, quo iudicium effugeret, contenderat ut comitia iudiciis anteferrentur, qua de causa comitia ultra legitimum tempus producta erant. Cf. ep. anteced. et ad Att. 4, 3. — *cautionis,* ne quid noceat Clodius, si aedilis fuerit creatus.

§. 3. *De rege Alexandrino,* Ptolemaeo Aulete, patre eius, qui Pompeium interfici iussit, et Cleopatrae, ob avaritiam, crudelitatem, libidinem, regno pulsus ad senatum confugerat petebatque ut restitueretur, quod demum factum est a Gabinio, Syriae proconsule, qui decem millibus talentorum donatus, provinciae suae terminis egressus, regem restituit, et postea hanc ob causam damnatus est. Cf. ep. ad div. 1, 1 sqq. — *cum multit.,* cum exercitu regem restitui libri Sibyllini vetabant (v. Dio Cass. 39, 15.), id quod Cato tribunus pl. in senatu monuit.

publicae videri. Reliqua quum esset in senatu contentio, Lentulusne an Pompeius reduceret; obtinere causam Lentulus videbatur. In ea nos et officio erga Lentulum mirifice et voluntati Pompeii praeclare satisfecimus. Sed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Quid futurum sit latrocinio tribunorum, non divino: sed tamen suspicor per vim rogationem Caninium perlaturum. In ea re quid Pompeius velit, non dispicio. Familiares eius quid cupiant, omnes vident. Creditores vero regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum. Sine dubio res a Lentulo remota videtur esse, cum magno meo dolore: quamquam multa fecit, quare, si fas esset, iure ei
4. succensere possemus. Tu, si ita expedit, velim quam primum bona et certa tempestate conscendas ad meque

obt. caus. Lentul. v. ad div. 1, 4, 1. — *officio erga Lentulum,* qui consul de Cicerone restituendo ad senatum retulerat. — *volunt. Pompeii,* ita agendo, ut Pompeium non offenderet; v. quae de h. l. disputavit *Abeken* in libro: *Cicero in seinen Briefen* p. 142 not. 1. — *obtrectatores Lentuli,* inprimis Catonem et Caninium, tribunos pl. v. ad div. 1, 4, 1; 5, 2; 7, 3 — *calumnia* religionis ad impediendum ficta; v. ad div. 1, 1, 1 extr. 4, 2: »nomen inductum fictae religionis.« — *latrocinio trib.,* iniquissimis conatibus Catonis et Caninii ad eripiendam Lentulo regis reductionem. v. ad div. 1, 4, 1. — *Caninium,* cuius rogatio erat, ut Pompeius cum duobus lictoribus regem restitueret; quam tamen non pertulit; Gabinius enim Ptolemaeum restituit. — *non dispicio.* V. ad div. 1, 2, 3; 1, 5: »sed nosti hominis tarditatem et taciturnitatem«. ad Att. 4, 9. ad div. 8, 1: »solet enim aliud sentire et loqui«. — *Famil. eius;* Volcatius, Lupus, Afranius, Libo, Hypsaeus, Caninius. — *Creditores vero regis;* ad div. 1, 1, 1: »Ammonius, regis legatus, aperte pecunia nos oppugnat. Res agitur per eosdem creditores« etc. — *contra Lentulum,* ut reductio ab Lentulo ad Pompeium transferatur. — *res a Lent. remot. videtur esse* i. e. Lentulus repulsam laturus esse videtur. — *si fas esset,* in patriam enim ab eo restitutus erat Cicero. — *succensere,* quia Lentulus, consul proximi anni, damnum a Clodianis in Tusculano et Formiano Ciceroni illatum, non pluris aestimasset; quod tamen, consul quum esset, penes eum fuerat. v. ad Att. 4, 2, 5.

§. 4. *si ita expedit* i. e. si ita commodum est s. iuvat. Sic cod. Med. a prima manu; a secunda vero *si ista expedit;* unde fortasse *si ista expedita* legendum coniecit Orell. Cod. Faërni habet: *si ista expedisti* i. e. si res in Sardinia peregisti, nihil te amplius ibi retinet. — *conscendas* navem.

venias. Innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. Tui nostrique valent. XIIII. Kal. Febr.

EPISTOLA III.

Scripta Romae prid. Id. Febr. A. U. C. 698 (a. Chr. 56) iisdem consulibus.

Argumentum. De Milonis a Clodio ad populum de vi accusati iudicio 1—2; de actis in senatu 3—4; de Sestio bis accusato 5; de oratione sua pro Bestia habita 6; de rebus domesticis 7.

MARCUS Q. FRATRI S.

Scripsi ad te antea superiora: nunc cognosce, 1.
postea quae sint acta. A Kal. Febr. legationes in Idus Febr. reiiciebantur. Eo die res confecta non est. A. d. IIII. Non. Febr. Milo affuit: ei Pompeius advocatus venit. Dixit M. Marcellus, a me rogatus. Honeste discessimus. Prodicta dies est in VIII. Id. Febr. Interim reiectis legationibus in Idus, referebatur de provinciis quaestorum et de ornandis praetoribus. Sed

§. 1. *superiora* i. e. prius, tunc acta. — *legationes*, quae mense Februario in senatu audiebantur. v. ad div. 1, 4, 1. idque lege Gabinia sanctum erat. v. infra 13, 3. — *res* sc. Alexandrina s. regia. — *Milo affuit* in foro, a P. Clodio aedili de vi apud populum accusatus; v. ad Att. 4, 3. Abeken l. c. p. 144. — *advocatus*, ut praesentia sua reum sublevaret, non ut patronus pro eo diceret. — *M. Marcellus*, qui anno 703 consul fuit cum Ser. Sulpicio et pro quo Ciceronis exstat oratio. Praenomen *M.* vulgo omissum, — *dixit* pro Milone. — *Prodicta dies*, qua Milonis causa apud populum diiudicari placuit. *Prodicta* (cf. Cic. pro dom. 17 extr. Liv. 2, 65. 3, 57. 6, 20. 38, 51.) edidit Orell. de Drakenborch. sententia pro vulg. *producta*. — *VIII. Id. Febr.* Alii: *IV. Id. Febr.* V. Orell. excurs. p. 436. — *Interim*, inter IV nonas et VIII Idus. — *referebatur* a consulibus in senatu. — *de provinciis quaestoriis*, ut quaestores anni superioris provincias sortirentur. — *de ornandis praetoribus.* Schütz. auctore Manutio dedit: *de ornandis praetoriis* (provinciis). At illo modo in ep. ad Att. 3, 4, 1. legitur: *de consulibus ornandis.* Ceterum *ornare provinciam* (v. ad Att. 3, 24, 2. 4, 18, 2) est praefinire, quem exercitum quamque pecuniam ex aerario datam, quot legatos cet. praeses provinciae haberet. Hoc SCtum de ornandis provinciis nonnisi *post* decretas in comitiis provincias fie-

res, multis querelis de re publica interponendis, nulla transacta est. C. Cato legem promulgavit de imperio
2. Lentulo abrogando. Vestitum filius mutavit. A. d. VIII. Id. Febr. Milo affuit. Dixit Pompeius, sive voluit. Nam, ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt: idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur. Qui ut peroravit: — nam in eo sane fortis fuit: non est deterritus: dixit omnia, atque interdum etiam silentio, cum auctoritate semper: — sed ut peroravit, surrexit Clodius. Ei tantus clamor a nostris, — placuerat enim referre gratiam — ut neque mente neque lingua neque ore consisteret. Ea res acta est, quum H. VI. vix Pompeius perorasset, usque ad H. VIII., quum omnia maledicta, versus denique obscoenissimi in Clodium et Clodiam dicerentur. Ille furens et exsanguis interrogabat suos in clamore ipso, Quis esset, qui plebem fame necaret? Respondebant operae, Pompeius. Quis Alexandream ire cuperet? Respondebant, Pompeius. Quem ire vellent? Respon-

bat. — *de re publica*, de rebus urbanis. — *C. Cato*, tribunus pl. Vid. supra 1, 2, 15. Praenomen in aliis omissum. — *legem promulg.* i. e. proposuit, ut deinde legem ferret. — *de imp. Lent. abrog.* quod tamen impediente Lentulo Marcellino consule factum non est. — *filius*, P. Lentulus Spinther, a Manlio Torquato adoptatus et augur factus. Cf. ad div. 7, 26, 2. Cic. pro Sext. 69.

§. 2. *sive voluit* h. e., interprete Schütz., non potuit ita dicere, ut exspectarat se dicturum, ut attente et sine perturbatione audiretur. — *perpetua orat.* V. de signif. v. *perpetuus* notam ad Q. Cic. de pet. Consul. p. 50. — *acclamatione.* V. supra ad 2, 1, 2. — *cum auctoritate semper.* Ita edidit Orell., Lambinum secutus. Schütz. ex emendatione Danesii et Manutii: *cum auct. semper egerat.* Vulg. *cum auctoritate peregerat.* — *Clodius* aedilis, Milonis accusator. — *Ei t. cl. a nostris* sc. editus s. sublatus est. — *ut ... consisteret* i. e. ut neque mentis neque linguae compos esset, coloremque saepius immutaret. — *denique.* Sic Orell. cum codd. pro vulg. *etiam.* V. ad l. 1 ep. 1, 1. — *Clodiam,* sororem P. Clodii, nuptam Q. Metello Celeri. v. pro Coel. 24, ad Att. 2, 9 init. 1, 35. — *exsanguis,* vepallidus. — *in cl. ipso* Milonianorum. — *fame necaret,* quasi Pompeius, rei frumentariae praefectus, frumentum comprimeret. — *Alexandream* (Vulg. *Alexandriam*) *ire* Ptolemaei restituendi causa.

debant, Crassum. Is aderat tum, Miloni animo non amico. H. fere IX., quasi signo dato, Clodiani nostros consputare coeperunt. Exarsit dolor. Urgere illi, ut loco nos moverent. Factus est a nostris impetus: fuga operarum. Ejectus de rostris Clodius: ac nos quoque tum fugimus, ne quid in turba. Senatus vocatus in curiam: Pompeius domum. Neque ego tamen in senatum, ne aut de tantis rebus tacerem aut in Pompeio defendendo — nam is carpebatur a Bibulo, Curione, Favonio, Servilio filio — animos bonorum offenderem. Res in posterum dilata est. Clodius in
Quirinalia prodixit diem. A. d. VI. Id. Febr. senatus 3.
ad Apollinis fuit, ut Pompeius adesset. Acta res est graviter a Pompeio. Eo die nihil perfectum est. A. d. V. Id. Febr. ad Apollinis senatus consultum factum est, EA QUAE FACTA ESSENT A. D. VIII. ID. FEBR. CONTRA REM PUBLICAM ESSE FACTA. Eo die

consputare; nonnisi h. l. legitur hoc voc. — *loco,* comitio. — *de rostris,* ex quibus iure aedilitatis ad populum verba fecit. — *ne q. in turb.* sc. nobis accideret — *Sen. voc. in curiam,* hoc ipso die VIII Idus. — *curiam* Hostiliam a Tullo Hostilio, haud procul a comitio, conditam. — *domum* sc. se contulit metu Clodii. — M. Calpurnio *Bibulo,* Caesaris inimico. Cf. ad Att. 1, 9, 11. — C. Scribonio *Curione,* patre eius, qui bello civili Caesarem secutus in Africa interfectus est; v. Suet. Caes. 52. — M. *Favonio,* propugnanda re publica et loquendi libertate insigni, qui post proelium Philippense occisus est. V. Suet. Aug. 13. — P. *Servilio,* P. Isaurici, qui adhuc in vivis erat, *filio.* v. ad Att. 2, 1, 10. ad div. 1, 1, 3. — *in posterum* diem. — *Clodius* die postero i. e. a. d. VII Id. Febr. *in Quirinalia prod. diem.* Cf. Orell. excurs. p. 436. — *Quirinalia,* quae in honorem consecrati Romuli d. XII Kal. Mart. celebrabantur. V. Ovid. fast. 2, 527 sqq. Fest. s. v. — *prodixit.* Vulg. *produxit.* Cf. supra ad §. 1.

§. 3. *ut Pompeius adesset,* qui prope templum Apollinis habitabat et metu Clodii longius a suis aedibus discedere non audebat. Contra hanc Manutii sententiam vir doctus monet senatum eam ob causam ad Apollinis fuisse, quia urbem intrare Pompeio non licuit, qui cum imperio esset, Apollinis autem templum extra urbem fuit ad Circum Flaminium. Cf. intpp. ad div. 1, 7, 3: *Etenim Pompeium ... scis temporibus illis non saepe in senatu fuisse.* At vero VIII. Id. Febr. Pompeius in concione affuit, quam in foro i. e. in urbe habitam esse patet ex verbis: *Eiectus de rostris Clodius — a. d. VIII. Id. Febr.* Vulgo omissum *Febr.,* quod auctore Orell. in hac formula SCti retineri debet.

Cato vehementer est in Pompeium invectus et eum oratione perpetua tamquam reum accusavit. De me multa, me invito, cum mea summa laude dixit. Quum illius in me perfidiam increparet, auditus est magno silentio malevolorum. Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumque descripsit: dixitque aperte se munitiorem ad custodiendam vitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset. Itaque magnae mihi
4. res iam moveri videbantur. Nam Pompeius haec intelligit nobiscumque communicat, insidias vitae suae fieri: [C.] Catonem a Crasso sustentari: Clodio pecuniam suppeditari: utrumque et ab eo et a Curione, Bibulo ceterisque suis obtrectatoribus confirmari: vehementer esse providendum, ne opprimatur, concionario illo populo a se prope alienato, nobilitate inimica, non aequo senatu, iuventute improba. Itaque se comparat, homines ex agris arcessit. Operas autem suas Clodius confirmat. Manus ad Quirinalia paratur: in eo multo sumus superiores ipsius copiis. Sed magna manus ex Piceno et Gallia exspectatur, ut etiam Catonis *roga-*

me invito, quia Cato contra Milonem et Lentulum, salutis suae auctores, rogationes promulgasset. — *perfidiam.* Pompeius enim contra fidem suam Ciceronem a Clodio in exilium pelli passus erat. — *malevolorum,* quibus nimia Pompeii potentia gravis erat, quique hunc a Cicerone abalienari volebant. — *descripsit,* vividis coloribus depinxit, non nominatim appellavit. — *Africanus* Scipio minor, qui Carthaginem et Numantiam everterat, a. u. 624 mane mortuus in lecto inventus est; cuius interfecti suspectus fuit *C. Carbo,* tribunus pl., qui accusatus a L. Licinio Crasso cantharidas sumsisse dicitur. v. ad div. 9, 21. Cic. Lael. 11, 59. 12, 41. 25, 96. de Orat. 2, 40. Cic. Brut. 27. Cf. contra Plut. C. Gracch. 10. Liv. epit. 59. Cic. Lact. 3, 12. 27, 102. Vellej. 2, 4, 5.

§. 4. *pecuniam supped.* a Crasso, Pompeii potentiae infenso. — *concionario illo populo* i. e. ea populi parte, quae ad conciones tribunorum pl. soleret accurrere. Cf. ad Att. 1, 16: »concionalis hirudo aerarii, misera plebecula.« — *non aequo* i e. inique in eum animato. — *arcessit* in urbem. — *Quirinalia,* quo die Clodium erat accusaturus. V. supra §. 2. — *Sed magna manus* clientum Pompeii, Ciceronis, Lentuli, Milonis. Lambin. de Malasp. conject. legit: *Et magna manus.* — *Piceno,* agro circa urbem Picentiam, qui hodie pars Anconae et Abruzzo est. — *Gallia,* a Caesare, quocum Pompeio adhuc amicitia erat.

tionibus de Milone et Lentulo resistamus. A. d. IIII. Id. Febr. Sestius ab indice Cn. Nerio, Pupiniâ, de ambitu est postulatus: et eodem die a quodam M. Tullio de vi. Is erat aeger. Domum, ut debuimus, ad eum statim venimus eique nos totos tradidimus: idque fecimus praeter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant; ut humanissimi gratissimique et ipsi et omnibus videremur: itaque faciemus. Sed idem Nerius index edidit ad allegatos Cn. Lentulum Vatiam et C. Cornelium: † ista ei. Eodem die senatus consultum factum est, UT SODALITATES DECURIATIQUE DISCEDERENT: LEXQUE DE IIS FERRETUR, UT, QUI NON DISCESSISSENT, EA POENA, QUAE EST DE VI, TENERENTUR. 5.

de Milone, puniendo ob gladiatores et bestiarios, quibus contra leges esset usus. V. infra ep 6, 5, ubi hanc ob causam Catonem vindicem gladiatorum et bestiariorum vocat. — *Lentulo,* ut ei imperium proconsulare Ciliciae abrogaretur.

§. 5. Publius *Sestius,* qui anno proximo tribunus pl. eum septem collegis de Cicerone restituendo rogationem pertulerat. V. supra l. 1, 4, 3. ad Att. 3, 19, 2; 23, 4. — *ab indice* i. e. delatore s. homine, qui mercede ad indicia, testimonia danda, accusandumque ducebatur. — *Pupinia* i. e. ex tribu rustica Pupinia, ab agro Pupinio nuncupata. V. Festum. — *de ambitu,* quod tribunatum pl. largitione cepisset, aut quaesturam, quam Cicerone consule gessit. — *postulatus* apud praetorem, qui iudicium de ambitu exercebat. Cf. infra §. 6 init. — *M. Tullio* Albinovano. v. in Vatin. c. 1. — *de vi,* apud M. Aemilium Scaurum praetorem, v. pro Sest. 47. — *ut debuimus,* ob eius in Ciceronem merita. — *eique nos tot. trad.* i. e. omnem operam nostram polliciti sumus. — *iure succens,* fortasse eandem ob causam, ob quam Lentulo. Cf. §. 3 extr. ep. anteced; vel quia, ut Bentivogl. monet, eius rogatio de Cicerone revocando neque dignitatis satis habebat, nec cautionis. V. ad Att. 3, 20 extr. — *itaque fac.,* operam nostram ei praestabimus. — *edidit ad allegatos* i. e. nominavit praeter eos, quos aiebat esse conscios et participes eiusdem criminis. Iunius vero interpretatur *allegatos* i. e delegatos s. deputatos, qui audiendis ipsius indiciis et probationibus dati sunt Cf. pro Cluent. 13 extr. — *Vatiam.* Vulgo editur: *Vacciam.* — Verba *ista ei* corrupta, in quibus Orellio latere cognomen videtur, vulgo omittuntur. — *sodalitates* intell. coitiones ambitus causa factae, de quibus v. quae notavi ad Q. Cic. de pet. Cons. §. 16 p. 24 sq. — *decuriatique* i. e. in decurias descripti, omnino homines infimae plebis in unum coacti, qui pecunia corrupti candidatis suffragarentur. Cf. pro Sext. 15. pro dom. 13. Planc. 18 sq. — *discederent* de campo Martio, quum ad creandos magistratus populus convenisset. — *de vi* publica, cuius poena erat, ut damnatus civitatem amitteret.

6. A. d. III. Id. Febr. dixi pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium, in foro medio, maximo conventu: incidique in eum locum in dicendo, quum Sestius, multis in templo Castoris vulneribus acceptis, subsidio Bestiae servatus esset. Hic προφκονομησάμην quiddam εὐκαίρως de iis, quae in Sestium apparabantur crimina, et eum ornavi veris laudibus, magno assensu omnium. Res homini fuit vehementer grata. Quae tibi eo scribo, quod me de retinenda Sestii gratia literis saepe
7. monuisti. Pridie Id. Febr. haec scripsi ante lucem: eo die apud Pomponium in eius nuptiis eram coenaturus. Cetera sunt in rebus nostris huiusmodi, ut tu mihi fere diffidenti praedicabas, plena dignitatis et gratiae; quae quidem tua, mi frater, prudentia, patientia, virtute, pietate, suavitate etiam, tibi mihique sunt restituta. Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est. Sed, ut spero, paucis mensibus, post Kalendas Quint. in tuam commigrabis. Tuam in Carinis mundi habita-

§. 6. L. Calpurnio *Bestia*, ambitus reo ob emtam praeturam. v. Philipp. 12, 8. 11, 5. Aedilis plebis fuerat a. u. 696. v. Philipp. 13, 12. pro Cael. 12. — *Cn. Domitium* Calvinum, qui hoc ipso anno 698 praetor, et a. u. 701 consul fuerat. v. pro Deiot. 5. 9. 11. pro Cael. 13. pro Flacc. 13. infra ep. 13. pro Sext. 53. — *maximo conventu*, concursu totius civitatis, uti auct. dialog. de oratt. c. 39 dicit. — *vuln. acceptis* a Clodianis. V. pro Sext. 37. ad Att. 4, 3, 3. — *προφωνονομησάμην*, providi, praemunivi in causa Bestiana quaedam opportune, apto loco, quae in iudicio Sestii prodessent. — *veris laudibus*, quippe et quaestor et tribunus pl. reipubl. studiosissimus fuerat.

§. 7. *apud Pomponium in eius nuptiis.* Atticus quinquagenarius in matrimonium duxit Piliam, ex qua suscepit Pomponiam Atticam s. Caeciliam, quae post pugnam Philippensem M. Vipsanio Agrippae duxit. v. ad Att. 4, 4, 2. 6, 2. 4. Corn. Nep. vit Attic. 12. — *paucis mensibus post Kalendas Quint.* i. e. interprete Orellio: »paucos intra menses, statim post Kalendas Quintiles.« Addit Orell., Bentivogl. plene scripsisse: »*paucis mensibus post, Kalendis Quintilibus*«, ne legatur cum editt. vett. *post Kalendas Quintiles*; sed hoc significatu dici *paucis mensibus*, ut l. 3. ep. 1, non *paucis mensibus post*. Ceterum Kalendae Quintiles erant terminus locatarum aedium. V. Suet. Tib. 35 extr. Martial. epigr. 12, 32, 11. — *in tuam*, quae nova aedificabatur. v. supra 2, 2, 2. et ep. seq. §. 2. — *in Carinis* in regione urbis quarta, inter montes Exquilinum, Palatinum et Caelium, ubi Ciceronis aedes ab avis haereditate accepta

tores Lamiae conduxerunt. A te post illam Olbiensem epistolam nullas literas accepi. Quid agas et ut te oblectes, scire cupio maximeque te ipsum videre quam primum. Cura, mi frater, ut valeas: et quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites. XV. Kalend. Mart.

EPISTOLA IV.

Scripta Romae mense Martio A. U. C. 698 (a. Ch. 56) iisdem consulibus.

Argumentum. Fratrem de Sestio absoluto, de filii studiis, de suae et fraternae domus aedificatione, de Tullia Crassipedi despondenda certiorem facit 1—2.

MARCUS Q. FRATRI S.

Sestius noster absolutus est a. d. V. Id. Mart. et, 1.
quod vehementer interfuit rei publicae, nullam videri in eiusmodi causa dissensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. Illud, quod tibi curae saepe esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius perversitatem quibusdam in rebus quam humanissime ferremus: scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur. Nam in defendendo,

erat, quam Quintus fortasse in divisione bonorum a fratre acceperat. — *mundi,* amatores elegantiae. — *Olbiensem,* Olbia, urbe Sardiniae, (hodie: Terra nuova), ubi Quintus legatus Pompeii in procuratione frumentaria erat, datam. — *hiems,* quo anni tempore morbis minus obnoxii sumus. — *Sardiniam,* gravi coelo provinciam. — *XV. Kal. Mart.* Ernest. ad h. l. notavit: »Ante scripserat, se hanc epistolam scripsisse prid. Id. Febr. (hui §. init.) Itaque hic numerus vitiosus videtur Pontederae in Ep. p. 345.« At fortasse *XV. Kal. Mart.* est dies, quo postea tabellario tradita est epistola.

§ 1. *a. d. V. Id. Mart.* Vulgo legitur: *a. d. II. Id. Mart.* »Hoc sane vitiosum«, dicit Orell., »notante iam van Vaassen *Fasti* p. 286. Scil. deberet esse: *pridie Idus,* ut re vera habet Rom.« — *absolutus est* iudicio de vi, accusante M. Tullio Albinovano, defensus ab Hortensio et Cicerone, cuius exstat oratio. V. ep. anteced. §. 5 sq. — *q. nos ingratos* erga Sestium, qui Ciceronis restitutionem maxime adiuverat. — *perversitatem,* cf. ep. anteced. §. 5.

moroso homini cumulatissime satisfecimus et — id quod ille maxime cupiebat — Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus. Quin etiam Paullus noster quum testis productus esset in Sestium, confirmavit se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: et Macer a Sestii subselliis surrexit ac se illi non defuturum affirmavit. Quid quaeris? homo petulans et audax, Vatinius, valde perturbatus debilitatusque discessit.

2. Quintus tuus, puer optimus, eruditur egregie. Hoc nunc magis animadverto, quod Tyrannio docet apud me. Domus utriusque nostrûm aedificatur strenue. Redemptori tuo dimidium pecuniae curavi. Spero nos ante hiemem contubernales fore. De nostra Tullia, tui

moroso homini, Sestio. Sic Müller. ad Sestianam p. 14. Vulgo editur: *moroso homine.* — *P. Vatinium*, qui testimonium in Sestium dixit. V. de eo ad Att. 2, 6, 2; 7, 3; 9, 2; 24, 3. Anno sequente eundem defendit Cicero. Propraetor Illyriae fuit postea; v. Philipp. 10, 5; 6. ad div. 5, 9; 10. Augur fit in locum Appii, v. ad div. 5, 9. — *arbitratu nostro concid.* oratione s. interrogatione in Vatinium, quae exstat probatque Ciceronem h. l. haud nimium esse gloriatum; quippe ei obiecit, quidquid a tribunatu conceperat sceleris. — *diis hom. plaud.* Adeo exosus erat Vatinius, ut odium acerrimum Vatinianum dicerent. V. Catull. 14, 3. Senec. de constant. 17 post med. — L. Aemilius *Paullus*, qui quaestor Macedoniae fuerat, et a. u. 701 praeturam, 704 consulatum gessit. — *productus*, legibus coactus, postulante accusatore, testimonium dicere. — *Macer Licinius* est C. Licinius Calvus, filius C. Macri, qui Cicerone praetore repetundarum reus mortem sibi dedit. V. Brut. 81. ad div. 15, 21. 9, 2. Weichert. poet. lat. reliqu. p. 105. — *a Sestii subselliis*, in quibus amici Sestii accusati sedebant. Erant subsellia iudicum, reorum, accusatorum. — *se illi non defut.*, se nomen Vatinii delaturum. Praestat nostro iudicio pron. *illi* ad Paullum referre. Ceterum ex auctore dialog. de causis corrupt. eloq. 34 patet, Calvum re vera Vatinium accusasse. — *Quid quaeris?* i. e. quid multa? quid plura dicam? uno verbo. — *debilitatusque*, animo fracto ac demisso, oppos. τῷ *audax*, uti *perturbatus* τῷ *petulans*.

§. 2. *Quintus tuus* filius. Cf. supra 1, 3, 3. — *Tyrannio* grammaticus, Amasa Cappadocum oriundus, quem Lucullus captivum Romam secum duxit. Tyrannionis nomen tenuit a severitate disciplinae, qua in urbe patria docuit; quum proprium eius nomen *Theophrastus* esset. v. ad Att. 2, 6. 12, 2. aequalis familiarisque Ciceronis. — *apud me*, domi meae. Cicero saepe institutioni interfuit, v. infra ep. 14, 2. l. 3, ep. 3. §. 4. — *aedificatur strenue.* v. epist. anteced. §. 7. — *contubernales*, licet suis uterque aedibus habitaret, hoc dicit, quia domus Quinti et Marci in Palatio contiguae erant, nec ullo

mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi; † cetero confectum erat Latiar erat exiturus.

interiecto spatio disiungebantur. v. ad Att. 2, 4, 7; 6, 2 extr.; 7, 5. — *Tullia nostra,* cuius primus maritus fuerat L. Calpurnius Piso Frugi, qui Cicerone exulante decessit; secundus Furius Crassipes, quo matrimonio quinque annis post dissoluto Tullia P Cornelio Dolabellae nupsit, quocum divortium fecit. — *Crassipede.* Furius Crassipes, Caesaris inprimis familiaris studiosusque, qui nuntium Tulliae remisit, quum Cicero proconsulari imperio in Cilicia esset. — *confecisse* negotium de sponsalibus, quae facta sunt prid. non. Apr. (v. ep. sq.) et epulis celebrata VIII. Id. April. v. infra ep. 6 init. — *Dies erant duo* cet. His verbis Cicero haud dubie significare voluit, cur sponsalia Crassipedis et Tulliae nondum celebrata sint. Dicit igitur: Quum haec scribebam, instabant adhuc dies duo, qui post ferias Latinas habentur religiosi, quibus nihil sive privati sive publici negotii, maioris momenti quod sit, fieri possit. — † *cetero confectum erat Latiar erat exit.* Sic corruptus hic locus in codd. plerisque apud Orell. legitur. Ipsi Orellio optima inter omnes lectiones videtur haec Victorii et Manutii, recte distincta: *ceteroqui confectum erat Latiar. Erat exiturus* sc. Crassipes, ita ut sponsalia non statim possent celebrari. Addit Orell. hanc suam coniecturam: *ceteroqui confectum erat Latiar; in Laterium* (fratris villam in agro Arpinati; v. infra ep. 7. l. 3. ep. 1. §. 4. ad Att. 4, 7.) *eram exiturus* Ernest. edidit: *Ceterum confectum erat Latiar, eram exiturus.* Schütz. recepit Gronovii (observatt. 4, 23) coniecturam: *ceterum qui* (i. e. quo die) *confectum erat Latiar, erat exiturus.* Van Vaassen fasti p. 246 legit: *ceteroqui confectum erat,* ceteris deletis, quae emendatio nobis prae reliquis arridet, quum verba: *Latiar erat exiturus (m)* praecedentibus glossemate adsuta esse videatur. — *Latiar,* Latinarum feriarum sacrum erat solenne, quod Iovi Latiali in Latii monte Albano fiebat. Tarquinius Superbus unum diem constituerat; primi consules regibus pulsis alterum diem addiderunt; inde foedere cum latinis populis icto, paulo post secessionem plebis in montem sacrum adiectus est dies tertius; denique quartus accessit post certamen de consulatu cum plebe communicando in memoriam concordiae a Camillo dictatore restitutae. V. Macrob. Saturn. 1, 16. Dionys. Halic. 6 extr. Plut. Camill. extr. Liv. 6, 42. Intelligendi igitur hoc nostro loco duo posteriores dies, ita ut dies Latinarum secundus s. antiquum Latiare sacrum peractum esset, quum Cicero haec scriberet.

EPISTOLA V.

Scripta Romae postridie Non. Apr. A. U. C. 698 (a. Chr. 56) iisdem consulibus.

Argumentum. De pecunia in rem frumentariam Pompeio decreta; de agro Campano quid actum sit in senatu 1; de M. Furio Flacco de collegiis eiecto 2.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Dederam ad te literas antea, quibus erat scriptum Tulliam nostram Crassipedi pridie Non. April. esse desponsam: ceteraque de re publica privataque perscripseram. Postea sunt haec acta: Non. Apr. senatus consulto Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam ad HS cccc. Sed eodem die vehementer actum de agro Campano clamore senatus prope concionali. Acriorem causam inopia pecuniae faciebat et annonae caritas.
2. Non praetermittam ne illud quidem: M. Furium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Capitolini et Mercuriales de collegio eiecerunt, praesentem, ad pedes unius cuiusque iacentem.

§. 1. *literas.* Hae literae de Tullia Crassipedi desponsa non exstant. — *desponsam.* Sic cum codd. edidit Orell, qui adnotat, Suet. Claud. 27 optimum cod. item habere *desponsam* pro *desponsatam,* conferrique iubet Drakenb. ad Liv. 1, 26, 2. 26, 50, 2. Vulgo legitur: *desponsatam.* — *in rem frumentariam.* v. ad Att. 4, 1, 7. — *HS. CCCC.* = sestertiûm quadringenties i. e. quadringenties centena millia. — *de agro Campano*, cuius partem, plebi dividendam, emi a privatis pecunia publica Caesar cum voluisset, nec pecunia suppeteret, factum est SCtum non. Apr. in sententiam Ciceronis, ut de agro Campano idibus Maii frequenti senatu referretur. V. ad div. 1, 9, 8. coll. supra ad ep. 1 hui. libr. §. 1. — *acriorem,* ut de ea vehementius disputaretur. — *inopia pecuniae,* qua Senatus agrum Campanum ex lege Caesaris emeret. — *annonae caritas,* quae ad agrum Campanum emendum plebique dividendum incitare videbatur.

§. 2. *Capitolini et Mercuriales,* duo genera hominum mercatorum s. negotiatorum, ex quibus collegium illud, unde M. Furius Flaccus est eiectus, constabat. Illi prope Capitolium habitabant ludorumque Capitolinorum curam habebant; hi a negotiatorum patrono, Mercurio, eiusve templo dicti. v. Hor. sat. 2, 3, 25, et de his collegiis omnino Liv. 2, 27. 5, 50.

EPISTOLA VI.

Scripta Romae V. Id. Apr. A. U. C. 698 (a. Chr. 56) iisdem consulibus.

Argumentum. Narrat se sponsalia Crassipedi praebuisse 1. Quinti domus aedificationem inspexisse; coenatum apud Crassipedem Pompeium et Lucceium convenisse 2. Tum fratrem, ut quam primum redeat, rogat 3; quomodo se res Romanae habeant, in primis de iudicio, quo Sext. Clodius absolutus est, exponit, denique literas fratris se exspectare scribit 4—7.

MARCUS Q. FRATRI S.

A. d. VIII. Id. Apr. sponsalia Crassipedi praebui. 1.
Huic convivio puer optimus, Quintus tuus meusque,
quod perleviter commotus fuerat, defuit. A. d. VI. Id.
April. veni ad Quintum eumque vidi plane integrum;
multumque is mecum sermonem habuit et perhumanum
de discordiis mulierum nostrarum. Quid quaeris? nihil festivius. Pomponia autem etiam de te questa est:
sed haec coram agemus. A puero ut discessi, in aream 2.
tuam veni: res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum. Fidem mihi faciebat, se velle nobis placere. Domus erit egregia; magis enim cerni iam poterat, quam quantum ex forma iudicabamus; itemque nostra celeriter aedificabatur. Eo die coenavi apud Crassipedem. Coenatus, in hortos ad

§. 1. *sponsalia* i. e. convivium sponsalicium, ut statim sequitur. — *Crassipedi.* v. ep. 4, 2. 5, 1. — *perleviter commot. fuerat* = leviter aegrotaverat. V. Plin. H. N. 2, 41, 41. coll. Cic. ad Att. 12, 11. ubi *commotiunculae* de levi impetu febrili. — *integrum,* restitutum. — *mul. nostr.* Terentiae et Pomponiae. — *festivius,* iucundius, facetius. Signif. h. v. amabilem puerorum leporem. v. Cic. ad div. 6, 4. *pueris, quibus nihil potest esse festivius.* — *etiam de te,* de longiore coniugis absentia, ut Manut dicit.

§. 2. *aream tuam.* v. ep. anteced. §. 2. — *structoribus* i. e. aedificatoribus, qui calcem et lateres tractant. — *forma* a Numisio architecto facta. v. supra ep. hui. libr. 2, 1. — *apud Crass. Coen. in hortos ad Pomp.* Schütz edidit: *apud Crassipedem in hortis. Coenatus ad Pompeium,*

Pompeium lectica latus sum. Lucceium convenire non potueram, quod abfuerat. Videre autem volebam, quod eram postridie Roma exiturus et quod ille in Sardiniam iter habebat. Hominem conveni et ab eo petivi, ut quam primum te nobis redderet. Statim, dixit. Erat autem iturus, ut aiebat, a. d. III. Id. Apr., ut aut La-
3. brone aut Pisis conscenderet. Tu, mi frater, simul ut ille venerit, primam navigationem — dummodo idonea tempestas sit — ne omiseris. Ἀμφιλαφίαν autem illam, quam tu soles dicere, bono modo desidero, sic prorsus, ut advenientem excipiam libenter: latentem etiamnunc, non excitem. Tribus locis aedifico, reliqua reconcinno; vivo paullo liberalius, quam solebam. Opus erat, si te haberem, paullisper fabris locum dare.

L. *Lucceium,* de quo v. Cic. pro Coel. 22. et ep. ad div. 5, 12. ibique intpp. — *exiturus* in villam. — *in Sardiniam,* quo legatus Pompeii in re frumentaria se contulisse Quintoque Ciceroni successisse videtur. — *Labrone.* Wesseling. ad Itin. Antonin. p. 293 coniecit Ciceronem scripsisse *Salebrone,* quia Salebrone in illo itinerario in ora ea ponitur, Labronis autem nulla alibi mentio fit. Wessel. emendationem recepit Schütz. Nihil mutat Reichard Orb. Ant. fol. 42. a; sed habet pro *Liburno* Zosimi *(Livorno) s. ad Herculem.* Manutius iam de portu Ligurni (Livorno) acceperat. — *Pisae,* hodie Pisa ad Arnum in Etruria. — *conscenderet* sc. navem s. in navem. Cf. ad Att. 9, 2. Philipp. 1, 3. Liv. 37, 11.

§. 3. *simul ut* dedit Orell. cum codd. Cf. Acadd. 2, §. 51. Tuscul. 4, 2 extr. Finn. 2, 11 init. Verrin. 1, 25. Ern., Schütz.: *simulac;* Faërnus coniecit: *simul atque.* — ἀμφιλαφίαν = ἀμφιλαφῆ περιουσίαν, *divitiarum affluentiam, bonam copiam.* Fortasse Quintus a Marco fratre quaesiverat, an, si Romam e Sardinia rediisset, eum bene numatum deprehensurus esset, in eoque illo vocabulo ἀμφιλαφίας usus erat. Marcus igitur respondet, se illam numorum abundantiam modice desiderare (quum praesertim tribus locis aedificet pauloque liberalius vivat); si venerit, libenter excepturum; non autem, etiam si nunc lateat necdum ad se pervenerit, operose et anxie quaesiturum et excitaturum esse. — *bono modo* i. e. non omnino, sed quadam ex parte, quodammodo, μετρίως. v. Cic. acad. 2, 44 extr. Plaut. Amphit. 3, 4, 12. Merc. 5, 4, 61. Cato de R. R. 5. — *Tribus locis,* domum in urbe et Tusculanum Formianumque a Clodio devastatum. — *reconcinno* i. e reficio, reparo. Cf. Plaut Menaechm. 2, 3, 72. Caes. B. C. 2, 15. — *vivo paullo lib.* = maiores sumtus facio. — *paullisper fabris locum dare.* Ex Schützii sententia videtur significare, si fratris facultatibus uti posset, opus esse, ut fabri plures adhiberentur aedificio accelerando. Aliter h. l. explicat Manutius, qui opus erat, inquit, ad relaxationem animi mei, ut paullisper ab his tumultibus secederem ac fabris locum da-

Sed et haec, ut spero, brevi inter nos communicabimus. Res autem Romanae sese sic habent. Consul 4.
est egregius Lentulus, non impediente collega: sic, inquam, bonus, ut meliorem non viderim. Dies comitiales exemit omnes: nam etiam Latinae instaurantur:
nec tamen deerant supplicationes. Sic legibus perni- 5.
ciosissimis obsistitur, maxime Catonis: cui tamen egregie imposuit Milo noster. Nam ille vindex gladiatorum et bestiariorum emerat de Cosconio et Pomponio bestiarios: nec sine his armatis unquam in publico fuerat. Hos alere non poterat: itaque vix tenebat. Sensit Milo. Dedit cuidam non familiari negotium, qui sine suspicione emeret eam familiam a Catone: quae simul atque abducta est, Racilius, qui unus est hoc tempore tribunus pl., rem patefecit eosque homines sibi

rem; defessus enim iam sum ex molestia, quam illis urgendis capio etc. — *Sed et haec.* Coniunctio *et* addita est, quia §. 1 extr. iam dixerat: *sed haec coram.*

§. 4. Cn. *Lentulus* Marcellinus. — *collega* Marcio Philippo. — *exemit,* sustulit, quum aliis rationibus, tum feriis indicendis effecit, ne per dies comitiales lege agi posset: ne scilicet C. Cato, tribunus pl., quas de P. Lentulo Spinthere et Annio Milone rogationes promulgaverat (cf. ad div. 1, 5, 2. supra ep. h. lib. 3, 1. 4.) eas perferre posse. — *nam etiam.* V. *etiam* indicat, praeter instaurationem Latinarum alio quoque genere impedimenti, quale erat *servare de coelo,* dies comitiales a Lentulo esse exemtos. V. Manut. ad h. l. — *Latinae* feriae, quibus agi cum populo non licebat. V. supra ad ep. hui. lib. 4, 2 extr. — *instaurantur,* de novo habentur decreto pontificum, quasi faciendis iis aut praetermissum aliquid esset, aut quod non oporteret commissum. — *supplicationes* imperatoribus pro re bene gesta decretae; quae dum fierent, pariter agi cum populo non licebat. Cf. infra ad l. 3. ep. 8. §. 3.

§. 5. *imposuit* i. e. verba dedit, decepit. Cf. Cic. ad Att. 15, 26. Nep. Eumen. 5. Petron. 102. — *ille vind. glad. et best.* C. Cato, quasi ultor et assertor gladiatorum et bestiariorum, quum legem in Milonem promulgasset, quod huiusmodi hominibus contra rem publicam usus esset. Cf. supra ep. 3 hui. lib. §. 4 extr. — *bestiarios,* θηριομάχους, qui ludis publicis in amphitheatro cum bestiis depugnabant, de quibus vid. Torrent. in Sueton. Claud. 34. — *vix tenebat* i. e. vix prohibere poterat, ne eum desererent aufugerentque. — *non familiari,* nulla secum necessitudine iuncto. — *familiam,* servos gladiatores. V. Cic. Sull. 19. Sext. 60. — *unus* i. e. unus inter omnes hoc magistratu dignus. Cf. Heind. ad Hor. Sat. 2, 3, 24. et ad Q. Cic. de Pet. Cons. p. 70.

emptos esse dixit — sic enim placuerat — et tabulam proscripsit, SE FAMILIAM CATONIANAM VENDITURUM. In eam tabulam magni risus consequebantur. Nunc igitur Catonem Lentulus a legibus removit et eos, qui de Caesare monstra promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam, quod de Pompeio Caninius agit, sane quam refrixit. Neque enim res probatur et Pompeius noster in amicitia P. Lentuli vituperatur et hercule non est idem. Nam apud perditissimam illam atque infimam faecem populi propter Milonem suboffendit; et boni multa ab eo desiderant, multa reprehendunt. Marcellinus autem hoc uno mihi quidem non satisfacit, quod eum nimis aspere tractat: quamquam id senatu non invito facit: quo ego me libentius a curia et ab omni parte rei publicae subtraho.

6. In iudiciis ii sumus, qui fuimus: domus celebratur ita, ut cum maxime. Unum accidit imprudentia Milonis in-

sic en. plac., cum Milone convenerat. — *tab. proscripsit* i. e. tabula publice posita venditionem edixit. V. ad Q. Cic. l. c. p. 10. — *magni risus,* quia, ut Bentivogl. monet, proscripserat familiam Catonianam se venditurum, non suam, quasi familia Catonis unis gladiatoribus et bestiariis constiterit. — *Nunc igitur Cat* Schütz. ex edit. Rom. *Hunc igitur Catonem,* quod probaverunt Ern. et Bentivogl. — *a legibus* promulgandis et perferendis *removit,* facultatem ferendi leges ademit. — *monstra* i. e. leges monstrosas, absurdas, rei publicae perniciosissimas. — *Caninius* trib. pl. rogationem promulgaverat, ut Pompeius Ptolemaeum regem cum duobus legatis restitueret. V. ad div. 1, 2, 1; 4, 1. supra ep. 2, 3. — *refrixit,* omittitur, haeret, non amplius agitur. Cf. ad Att. 1, 19, 4. infra 3, 8, 4. — *Pompeius ... vituperatur,* qui, quum a Lentulo, consule anni superioris, cura rei frumentariae Pompeio esset delata, (v. ad Att. 4, 1, 7. coll. ad div. 1, 1, 3 extr.) honorem restituendi Ptolemaei regis ei conaretur eripere. — *idem,* qui fuerat, non eadem fruitur auctoritate, qua antea. — *faecem pop.,* studiosam Clodii. — *pr. Milonem,* quem accusatum a Clodio defenderat. Cf. supra ep. 2 hui. lib. §. 1. ad div. 1, 5: *Posteaquam Pompeius et apud populum a. d. VIII. Id Febr. quum pro Milone diceret* etc. — *suboffendit,* non omnino, sed leviter offendit, quippe qui maxime popularis esset. Cf. supra ep 3, 4: *concionario illo populo a se prope alienato.* — *desiderant,* quae non praestat, quum debeat; *reprehendunt* quae agit, quum non debeat. — *eum,* Pompeium. — *a curia,* ne aut in Pompeio defendendo animos bonorum offendam, aut sequendo adversarios eius ingrate faciam in ipsum. V. supra ep. 3, §. 2 extr.

§. 6. *In iudiciis,* causarum patronus. — *celebratur* a clientibus.

commode, de Sexto Clodio: quem neque hoc tempore neque ab imbecillis accusatoribus mihi placuit accusari. Ei tres sententiae deterrimo in consilio defuerunt. Itaque hominem populus revocat et retrahatur necesse est. Non enim ferunt homines: et quia, quum apud suos diceret, paene damnatus est, vident damnatum. Ea ipsa in re Pompeii offensio nobis obstitit. Senatorum enim urna copiose absolvit, equitum adaequavit, tribuni aerarii condemnarunt. Sed hoc incommodum consolantur quotidianae damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Servius allisus est, ceteri conciduntur. C. Cato concionatus est, [*se*] comitia haberi non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exempti. Appius a Caesare nondum redierat. Tuas mirifice li- 7.

Sex. Clodio edidit Schütz. ex coniectura Manut. pro vulg. *Sex. Caelio.* Sextum enim Clodium hoc tempore accusatum absolutumque esse constat ex or. pro Caelio c. 32. — *hoc tempore,* quo P. Clodius aedilis, parens eius, sublevare eum poterat, et Pompeius senatui populoque non admodum carus erat. — *deterrimo* dedit Orell. de Bentiv. coniectura, qui tamen ipse recepit Schützii emendationem: *teterrimo.* Vulgo: *teterrimae.* — *consilio* iudicum. — *defuerunt* ad condemnationem. — *revocat* ad iudicium i. e. denuo accusandum esse dicit. — *retrahatur* in ius. — *ferunt* absolutionem eius. — *apud suos* i. e. apud iudices ei faventes. — *vid. damnatum,* sibi persuadent fore ut damnetur. — *Pomp. offensio* i. e. animus in Pompeium offensus, alienior. — *obstitit,* effecit, ut absolveretur. — *urna.* Ex lege Aurelia L. Aurelii Cottae praetoris quum tres ordines, senatores, equites, tribuni aerarii iudicarent, tres quoque erant urnae, in quas separatim cuiusque ordinis tabellae (absolutionis vel condemnationis) coniiciebantur, in quibus dirimendis maior sententiarum, non ordinum, numerus spectabatur. — *copiose,* longe maiore senatorum parte. v. ad div. 8, 8, 3. pro Cluent. 27: *In consilium erant ituri iudices triginta et duo; sententiis decem et sex absolutio confici poterat.* — *adaequavit* i. e. pares absolventium et condemnantium sententias continuit. — *tribuni aerarii,* de quibus v. Cato ap. Gell. 7, 10. infra ep. 16, 3. et Manut. ad h. l. — *Servius* Orell. esse videtur Servius Pola; cf. infra ep. 13 ad fam. 8, 12. Iahn ad Hor. sat. 2, 1, 47. — *allisus est,* tanquam naufragio, periculum damnationis vix effugit. — *conciduntur,* perduntur iudicio, damnantur — *[se]* vulgo omissum recepit Orell. a Lamb. — *non siturum.* Re vera impedivit tribunicio intercedendi iure; nulla hoc anno et duobus sequentibus comitia habita, sed ex interregno consules per triennium creati sunt. Cf. Dio Cass. 39, 27 sqq. Appian. 2, 3. Liv. epit. l. 105. — *essent exemti.* v. supra §. 4. — *Appius* Claudius Pulcher, P. Clodii frater. V. ad Att. 3, 17, 1. 4, 2, 3; 3, 4. — *redierat* Romam e Gallia, quo profectus erat, ut Caesar suam

teras exspecto: atque adhuc clausum mare fuisse scio; sed quosdam venisse tamen Olbia dicebant, qui te unice laudarent plurimique in provincia fieri dicerent. Eosdem aiebant nuntiare te prima navigatione transmissurum. Id cupio: et, quamquam te ipsum scilicet maxime, tamen etiam literas tuas ante exspecto. Mi frater, vale.

EPISTOLA VII.

Scripta Antii d. III. Id. Apr, A. U. C. 698 (a. Chr. 56) iisdem consulibus.

Argumentum. Scribit de itineribus suis per villas, et de aedificatione Arcani sustentata.

MARCUS Q. FRATRI S.

A. d. III. Id. April. ante lucem hanc epistolam dictaveram eramque in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem. Postridie autem in Laterio cogitabam: inde, quum in Arpinati quinque dies fuissem, ire in Pompeianum: rediens adspicere Cumanum, ut, quoniam in Non. Maias Miloni dies prodicta

consulatus petitionem adiuvaret, aut ut ab eo tribunatum aliquem militum auferret. V. infra ep. 15, 3.

§. 7. *atque* = ac quidem, ac sane. — *clausum* ob hiemem V. Veget. de re milit. 4, 39: *ex die III iduum Nov. usque in diem VI iduum Martii maria clauduntur; nam lux minima noxque prolixa, nubium densitas, aëris obscuritas, ventorum, imbrium vel nivium geminata saevitia non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbat.* — *Olbia.* Schütz. cum Manutio pro vulg. *Ostia.* v. supra ad ep. 3 extr. — *in provincia;* v. supra ep. 1 extr. 2, §. 1. — *prima navig.,* simulac mare aperietur.

EPISTOLA VII.

Dictaveram eramque est emendatio Schützii pro vulg. *dictaveram scripseramque* — *T. Titium* legatum Pompeii in re frumentaria, ad quem exstat ep. ad div. 13, 75. — *in Anagnino,* fundo in agro Anagniae, urbis Latii in Hernicis (hodie *Anagni*). — *Laterio* praedio Quinti in agro Arpinati V. infra l. 3. ep. 1. §. 4. ad Att. 4, 7, 3. 10, 1, 1. — *Arpinati,* Marci villa — *Pompeianum, Cumanum,* itidem Marci Ciceronis fundos. — *prodicta* dedit Orell. ex codd. Iunii, uti bis legitur pro dom. §. 45, ubi v. Wolf., apud Livium

est, pridie Non. Romae essem teque, mi carissime et suavissime frater, ad eam diem, ut sperabam, viderem. Aedificationem Arcani ad tuum adventum sustentari placebat. Fac, mi frater, ut valeas quamprimumque venias.

EPISTOLA VIII.

Scripta exeunte mense Iunio A. U. C. 698 (a. Chr. 56) iisdem consulibus.

Argumentum. Scribit se summo fratris desiderio teneri, et Gabinio supplicationem a senatu denegatam 1; de agro autem Campano nihil actum refert 2.

MARCUS Q. FRATRI S.

O literas mihi tuas iucundissimas, exspectatas, ac 1.
primo quidem cum desiderio, nunc vero etiam cum timore! Atque has scito literas me solas accepisse post illas, quas tuus nauta attulit, Olbia datas. Sed cetera, ut scribis, praesenti sermoni reserventur. Hoc tamen non queo differre. Id. Maiis senatus frequens divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. Adiurat Pro-

aliosque. Cf. supra ad ep. 3, 1. 2. Vulgo: *prodita*, quod defendit quidem Bentivogl., et Manut. comparat cum Ter. Andr. 2, 1, 15: *saltem aliquot nuptiis prodat dies*, sed ortum videtur ex *prodicta*, uti lectio aliorum: *producta*. — *prid. Non. Romae essem*, quod tamen factum non est; nam Id. Maiis Antii erat. V. ep. seq. §. 1. — *teque ... ad eam diem ... viderem*, non vidit, ut ex ep. seq. l. c. patet. — *Arcani*, villae Q. Ciceronis prope Minturnas. V. ad Att. 5, 1, 3 sq. 10, 2. 3. — *sustentari*, differri. Ita *sust. rem* ad div. 13, 64. *malum* Cat. 4, 3. — *venias* ex Sardinia.

EPISTOLA VIII.

§. 1. *iucundiss.*, namque se salvum e Sardinia in Italiam rediisse in iis nuntiaverat. — *primo*. Orell. coll. infra ep. 10, 1. malit *primum* — *desiderio* tui absentis — *cum timore*, propter pericula, quae navigantibus impendent. — *Olbia*, v. supra ep. 3. §. 7. ep. 6. § 7. — *divinus*, ob denegatum supplicationis honorem. — *A. Gabinio*, qui consul a. u. 696 consilia inimicorum Ciceronis admodum iuverat et tunc Syriam proconsul regebat. Supplicationem a senatu per literas petiit ob rem bene gestam in Syria contra Aristobulum eiusque filium Alexandrum, denegavit senatus frequens. Cf. Cic. de prov. consul. 6. Phil. 14, 8. in Pis. 17. 19. — *Procilius*. V. ad Att.

cilius hoc nemini accidisse. Foris valde plauditur. Mihi quum sua sponte iucundum, tum iucundius, quod me absente (est enim εἰλικρινὲς iudicium) sine oppug-
2. natione, sine gratia nostra. Eram Antii. Quod Idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum. In hac causa mihi aqua haeret. Sed plura quam constitueram: coram enim. Vale, mi optime et optatissime frater, et advola. Idem te pueri nostri rogant: illud scilicet, coenabis, quum veneris.

4, 15, 4. 16, 5. Fuit quaestor a. u. 693, tribunus pl. 696. — *hoc nem. accidisse.* Senatus enim aliis supplicationem eo libentius concessit, quia sic tribunis multi dies, quibus alioqui cum populo agere possent, adimebantur. Atque eo turpior haec denegatio fuit Gabinio. — *Foris,* extra senatum, a reliquo populo *plauditur* senatui. Similiter usus est v *foris* ad div. 1, 9. §. 20. — *εἰλικρινές*, sincerum, integrum, non gratiae meae tributum. Cf. Ern. ind. graeco-lat. s. v. — *sine oppugn.* i. e. nemine repugnante, impediente. — *Eram Antii.* Non igitur pridie Non. Mai., quod cogitaverat (v. supra ep. 7), Romam redierat. Bentivogl., qui h. v. sana non putat, praetulerit cum variantibus Alinis *erat actum,* superioribus additum interpunctione sublata. Quamquam ad superiora verbum suppleri debet, tamen vulg. lectionem haud mutaverim.

§. 2. *postridie* Idus, utpote die atro, alias senatum haberi non potuisse Manutius ad h. l. monet. — *de agro Camp. act. iri,* ex eo SCto, quod Non. Apr. ex Ciceronis sententia factum erat, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur. V. ad div. 1, 9, 8. Abeken l. c. p. 150. — *aqua haeret* i. e nescio quo me dem, quid sententiae dicam, expedire me nequeo. Proverbialis locutio, quam a clepsydris, in quibus non semper fluebat aqua, sed interdum haerebat immobilis, ductam esse Manutius dicit. V. de offic. 3, 33. Cicero incertus erat, utrum, quod e republica erat, agri Campani venditionem probaret, an Pompeio gratificaretur, qui dividi hunc agrum veteranis suis voluisset. Cf. ad div. 1, 9, 10. — *plura* sc. scripsi. — *coram enim* i. e. praesenti sermone his de rebus agemus. — *pueri nostri,* Quintus et Marcus filius. — *illud scilicet.* Iens. *illuc sc.; scilicet* valet: scias vel cognoscas licet, ut ab h. v. regatur *illud.* v. Gronov. observv. 3, 9. p. 388. Cort. ad Sallust. Iug. 113, 3 — *coenabis, quum veneris* i. e. coena adventoria tibi dabitur. Cf. etiam Manut. ad h. l. Plaut. Stich. IV, 1, 6.

EPISTOLA IX.

Scripta Romae circiter Id. Mai. A. U. C. 699 (a. Chr. 55).
Cn. Pompeio Magno II, M. Licinio Crasso II. Coss.

Argumentum. Librum suum Quinto placuisse laetatur; negotium fratris se Pompeio commendasse 1—2; de ambitu SCtum in Afranii sententiam factum esse nuntiat 3.

MARCUS Q. FRATRI S.

Placiturum tibi esse librum meum suspicabar: tam 1.
valde placuisse, quam scribis, valde gaudeo. Quod me admones de nostra Urania suadesque, ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro: ego vero memini et illa omnia mihi magis scripsi, quam
ceteris. Sed tamen postridie, quam tu es profectus, 2.
multa nocte cum Vibullio veni ad Pompeium. Quumque ego egissem de istis operibus atque inscriptionibus, per mihi benigne respondit: magnam spem attulit: cum Crasso se dixit loqui velle; mihique ut idem facerem,

§. 1. *librum meum* poëma de temporibus suis. V. ad Att. 4, 8 extr. §. 3. ad div. 1, 9. §. 23. Dio Cass. 39, 10. Abeken l. c. p. 173. Tres *de consulatu suo* libri, quos iam ante a. u. 694 confecerat (cf. ad Att. 1, 19, 10. 2, 3, 3. Abeken l. c. p. 65.), h. l. non intelligendi sunt. — *Urania*, Musa, quam secundo de consulatu suo libro loquentem fecerat Cicero. V. de divinat. 1, 11. Loquendi partes etiam dederat Calliopae et Iovi. Cf. ad Att. 2, 3, 3. Sall. or. in Ciceron. §. 14. — *mihi magis*, ut meae vitae rationem ad illam Iovis orationem dirigerem.

§. 2. *Sed tamen* h. l. ut alibi etiam *sed*, *sed enim*, transitum parat, non contrarium aliquid indicat. — *profectus;* rursus igitur Quintus Roma discesserat, qui e Sardinia anno superiore paulo post Id. Mai. redierat. V. ep. anteced. — *multa nocte* i. e. multa noctis parte (elapsa), spissis adhuc tenebris. Cf. ad Q. Cic. Petit. Cons. §. 50. p. 65. — *Vibullio*, L. Vibullio Rufo, Pompeii studiosissimo eiusque praefecto fabrûm bello civili. V. infra ep. 3, 1, 18. ad div. 1, 9, 10. ad Att. 7, 24. Caes. Bell. civ. 1, 15. — *oper. atque inscript.*, quae ad Telluris aedem pertinerent, in diruenda domo Ciceroniana et porticu Catuli itidem laesam, cui reparatae inscribi suum nomen volebat Quintus, et ubi Marcus statuam etiam fratris locavit. V. infra ep. 1. libr. 3. §. 14. Quod quum sine publica consensione fieri non posset, Coss. Pompeio Crassoque adiutoribus usus est, ne Clodius rem impediret.

suasit. Crassum consulem ex senatu domum reduxi; suscepit rem dixitque esse, quod Clodius hoc tempore cuperet per se et per Pompeium consequi: putare se, si ego eum non impedirem, posse me adipisci sine contentione quod vellem. Totum ei negotium permisi meque in eius potestate dixi fore. Interfuit huic sermoni P. Crassus adolescens, nostri, ut scis, studiosissimus. Illud autem, quod cupit Clodius, est legatio aliqua: si minus per senatum, per populum, libera aut Byzantium aut *ad* Brogitarum aut utrumque. Plena res nummorum. Quod ego non nimium laboro, etiam si minus assequor, quod volo. Pompeius tamen cum Crasso locutus est. Videntur negotium suscepisse. Si perficiunt: optime. Sin minus: ad nostrum Iovem revertamur.
3. A. d. III. Id. Maias senatus consultum est factum de

ex sen. dom. reduxi, honoris causa. V. intpp. ad Cic. de senect. §. 63. — *per se,* Crassum. — *per Pompeium,* quocum Clodius anno proximo in gratiam redierat, concionemque acerbissimam in Marcellinum consulem, Pompeii Crassique conatibus obsistentem, habuerat. V. Dio Cass. 39, 26. 29. Abeken l. c. p. 146. — *eum,* Clodium. — *in eius potest. fore* i. e. ei gratificaturum, omnia facturum, quae vellet. V. Phil. 6, 2. ad Att. 1, 10. ante med. — *P. Crassus, consulis* filius. V. Cic. Brut. 81. ad div. 5, 8, 4. Plut. vit. Cic. 33. Crass. 26. Patrem in Parthos secutus periit. — *per populum.* Lamb. *at per pop.* Dandarum legationum ius penes senatum, contraque morem erat, eas a populo petere. V. commentat. meam de Senat. Rom. p. 38 sq. — *Byzantium,* ut a Byzantiis, quos tribunus plebis sua lege ab exilio per M. Catonem Uticensem (v. Plut. vit. Cat.) restituerat, promissam pecuniam exigeret. — *ad Brogit.* Praeposit., auctore Manutio, addiderunt Lamb. Ern. Schütz. Brogitaro, Gallo-Graeco regisque Deiotari genero, Clodius tribunus sacerdotium Magnae Matris s. Cybeles Pessinuntiae, expulso iusto sacerdote, vendiderat, eique regis nomen dederat. V. Cic. pro Sext. 26. dom. 20. de harusp. respons. 13. 27. Huius quoque syngraphas Clodius exigere voluit hoc itinere. — *Plen. res num.* Multum pecuniae ex hac re colligi potest. — *ad nostr. Iovem,* ut ea, quae Iupiter in poëmate de temporibus suis monet, faciamus; nimirum ut, etiam si minus ex sententia res publ. administretur, suarum tamen virtutum laude se consoletur.

§. 3. *de ambitu.* Pompeius et Crassus Coss. quum, petentibus praeturam M. Porcio Catone et P. Vatinio, hunc nequissimum omnium illi integerrimo civi anteferri vellent, neque id obtinere sine ambitu possent, timerent autem, ne Vatinius electus de ambitu accusaretur et condemnaretur: SCto, quod Cicero significat, cautum est, ut praetores creati statim hunc magistratum inirent, neque

ambitu in Afranii sententiam, quam ego dixeram, quum tu adesses. Sed magno cum gemitu senatus consules non sunt persecuti eorum sententias, qui Afranio quum essent offensi, addiderunt, ut praetores ita crearentur, ut dies LX. privati essent. Eo die Catonem plane repudiarunt. Quid multa? tenent omnia: idque ita omnes intelligere volunt.

EPISTOLA X.

Scripta in Puteolano vel Cumano. mense Apr. vel Maio A. U. C. 699 (a. Chr. 55) iisdem consulibus.

Argumentum. Fratrem iocose castigat, quod veritus esset, ne se interpellaret, eumque, ut mox advolet et Marium adducat, rogat 1—4.

MARCUS Q. FRATRI S.

Tu metuis, ne me interpelles? Primum, si in isto 1.

ei, qui praeturam per ambitum cepisset, propterea fraudi esset. V. Plut. Cat. Utic. c. 42. et Pompei. Val. Max. 4, 1, 14; 7, 5, 6. — L. *Afranii,* qui opera largitioneque Pompeii a. u. 694 ad consulatum pervenerat, eius consilia omnimodo adiuvit et postea cum Petreio legatus Pompeii in Hispania, a Caesare victus est. V. ad Att. 1, 16, 12; 18, 5; 19, 4; 20, 5; Dio Cass. 37, 49. Abeken l. c. p. 155. — *quam eg. dix.* i. e. de qua tecum locutus eram, uti Manut. explicat. Non est igitur, quod cum Schütz. legatur: *contra quam eg. dix.* — *Sed magno cum gem. sen.,* eorum, qui minori numero dissenserant. Ern. et Schütz. h. v. antecedentibus iunxerunt. — *non sunt persecuti* i. e. noluerunt discessionem fieri, omiserunt de eorum sententiis senatum consulere. — *ut dies LX. priv. essent,* nimirum quo tempore praetores, per ambitum creati, possent accusari condemnatique de praetura deiici; nam qui essent in magistratu, eos accusare non licebat. Ceterum si recte atque ordine ageretur, menses quinque et quod excurrit, eos privatos esse oportebat, quum Quintili mense fere designarentur magistratus. Verum comitia praetorum ob certamen de creandis consulibus anno superiori praetermissa erant. V. ad Att. 4, 8 extr. §. 2. — *Catonem* M. Uticensem *plane repud.* Consules Pompeius et Crassus nullam eius rationem habuerunt nomenque eius praeturam petentis recipere noluerunt. — *tenent omn.,* omnium rerum arbitri sunt.

EPISTOLA X.

§. 1. *Tu metuis* etc. Scripserat Quintus fratri, se ad eum in villam venturum, nisi intempestive eius occupationibus interveniret eique incommodaret. — *primum.* Vulg. *primo.* — *si in isto essem*

essem, tu scis, quid sit interpellare. An te Ateius? Mehercule mihi docere videris istius generis humanitatem: qua quidem ego nihil utor abs te. Tu vero, ut me et appelles et interpelles et obloquare et colloquare velim. Quid enim mihi suavius? Non mehercule quisquam μουσοπάτακτος libentius sua recentia poëmata legit, quam ego te audio quacunque de re, publica privata, rustica, urbana. Sed mea factum est insulsa verecundia, ut te proficiscens non tollerem. Opposuisti semel ἀναντίλεκτον causam, Ciceronis nostri valetudi-
2. nem; conticui: iterum Cicerones; quievi. Nunc mihi iucunditatis plena epistola hoc adspersit molestiae, quod videris, ne mihi molestus esses, veritus esse atque etiamnunc vereri. Litigarem tecum, si fas esset: sed mehercule istuc si unquam suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi verebor, ne quando ego tibi, quum sum una, molestus sim. Video te ingemuisse. Sic fit, εἰ δ' ἐν αἴᾳ ἔζησας· nunquam enim dicam, ἔα πάσας. Ma-

i. e. si ita negotiis essem obrutus, ut interpellari possem, ut alicuius interventus mihi molestus esset. — *tu scis, quid sit interpellare,* indeque nunquam non tempestivus ad me accedis. — *An te Ateius?* sc. interpellat, ut eodem modo te mihi importune venire putes. Fortasse intell. *C. Ateius Capito,* de quo ad Att. 13, 33, 4. dicit: »Nosti diligentiam Capitonis in rebus novis perquirendis«. qui rerum novarum audiendarum cupiditate ductus alios interpellasse videtur. — *videris.* Vulg. *videbaris.* — *istius generis humanitatem,* qua quis, uti Ateius, interpellationem multis verbis excusare possit soleatque. — *nihil utor abs te,* eiusmodi verborum lenociniis mihi nihil opus est a te, si me invisere volueris. *Schütz.* — *obloquare* opponitur v. *colloquare,* idemque fere significat quod *interpellare.* — *μουσοπάτακτος* i. q. *μουσόληπτος*, a Musis percussus, subito Musarum afflatu concitatus, furore poëtico correptus. — *tollerem* mecum comitem itineris abducerem. — *ἀναντίλεκτον* i. e. cui contradici non potest. Est coniectura Victorii Varr. lectt. 6, 6. 7. quam recepit Schütz., aptior quam lectio Manutii *ἀντείσακτον* (adductam contra voluntatem meam, i. e. oppositam voluntati meae), probata ab Ernestio. — *Cic. nostr.,* filii tui. — *iterum Cicerones* sc. opposuisti, i. e. mihi iterum te invitanti causam opposuisti, Cicerones nostros tua egere cura.

§. 2. *si unquam suspicatus ero,* si unquam animadvertero te hoc esse animo. — *nisi verebor* = nisi me vereri. — *Video te ingem. ... πάσας.* Haec verba Schütz., quum in hoc orationis contextu nullo modo explicari possint, transponenda censuit ad finem epist. post verba: *De re publica.* — *εἰ δ' ἐν αἴᾳ ἔζησας* i. e. si vero in terra

rium autem nostrum in lecticam mehercule coniecissem, non illam regis Ptolemaei Anicianam, memini enim quum hominem portarem ad Baias Neapoli octophoro Aniciano, machaerophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, quum ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam, et paene ille timore, ego risu corrui. Hunc, ut dico, certe sustulissem, ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis et humanissimi sermonis attingerem. Sed hominem infirmum in villam apertam ac ne rudem quidem etiamnunc invitare nolui.
Hoc vero mihi peculiare fuerit, hic etiam isto frui. 3.
Nam illorum praediorum scito mihi vicinum Marium lumen esse. Apud Anicium videbimus ut paratum sit. Nos enim ita philologi sumus, ut vel cum fabris habi-

vixisti, *sic fit* i. e. hunc rerum ordinem esse scis. — *ἔα πάσας* sc. *μελεδῶνας*, mitte omnes curas. — *M. Marium,* hominem infirma valetudine, literarum studio deditum. V. ad div. 7, 1. 2. 3. 4. Quintus in epistola sua miratus esse videtur, cur Marcus proficiscens hunc communem ipsorum amicum non secum rus abduxerit; Cicero causam affert infirmam eius valetudinem. — *in lect. m. coniecissem,* ut mecum in villam tollerem. — *regis Ptolemaei,* quam Ptolemaeus, Aegypti rex, a civibus suis pulsus Romae quum esset, sibi strui curaverat magnifice, deinde autem Anicio cuidam, uni ex suis creditoribus, cuius opera usus erat, dono dederat. Significare videtur *C. Anicium* senatorem. V. ad div. 7, 26, 2; 12, 21, qui villam Puteolis in Campania prope Ciceronem possidebat. — *machaeroph. cent. seq.,* quos Cicero fortasse ab Anicio sumserat, Marius autem ab initio non viderat. Quare hic, ioci ignarus, in itinere subita specie perterritus est. — *octophoro* i. e. lectica ab octo hominibus portata. V. Verr 5, 11. Suet. Calig. 43. Martial. 6, 84, 1. — *machaerophoris* i. e. gladio cinctis, satellitibus. — *aperuit,* remoto velo caput e lectica exseruit. — *Hunc, ut dico.* Ita coniecerat Manut., qui haecce adnotavit: »Facit hoc Cicero, quum de aliquo aggressus dicere, de eodem aliquid a re tamen proposita seiunctum interponit, rursus ad id, quod coeperat, reversus, hoc utitur loquendi modo.« Est igitur *epanalepsis.* Vulgo *tunc.* — *ut aliquando . . . attingerem* i. e. ut urbano illius humanissimoque sermone, veterum salibus condito fruerer. — *apertam,* quae aurae permeanti patet, *ac ne rudem quidem,* vix eo usque exstructam, ut sub tecto habitare liceat.

§. 3. *mihi peculiare,* propria mea voluptas, mihi nullo cum homine communis. — *illorum praediorum* in agro Campano, ubi villam Marii fuisse patet ex ep. ad div. 7, 3, 1. — *lumen* i. e. luminis loco, gratissimum, velut lumen, quo aedes illustrantur. — *Apud Anicium,* cuius villa in Puteolano Ciceronis villae vicina erat. — *ut paratum sit* i. e. ut omnia ad commode excipiendum Marium infirmum sint parata. — *ita philologi sumus* = ita literarum studio

tare possimus. Habemus hanc philosophiam non ab Hymetto, sed ab area Syra. Marius et valetudine est
4. et natura imbecillior. De interpellatione tantum sumam a vobis temporis ad scribendum, quantum dabitis. Utinam nihil detis, ut potius vestra iniuria, quam ignavia mea cessem! De re publica nimium te laborare doleo et meliorem civem esse, quam Philoctetam, qui accepta iniuria, ea spectacula quaerebat, quae tibi acerba esse video. Amabo te, advola: consolabor te et omnem abstergebo dolorem: et adduc, si me amas, Marium. Sed approperate. Hortus domi est.

deditus sum, ut mollis tamen minime sim, quales fere sunt, qui in studiis habitant. — *ab Hymetto* (monte Atticae clarissimo, optimo melle et marmore nobili. V. Hor. od. 2, 6, 14 Colum. 10, 385.) i. e. a Graecia molli et effoeminata. — *ab area Syra.* Manut. explicat: in qua servi Syri opus faciunt. At enim haec corrupta videri notat Orell.; Bentiv. expressit coniecturam Oliveti cum Schütz. *ab area Cyri*, saltem emendandum putat *ab a. Cyrea. Cyrus* architectus Ciceronis erat. V. supra ep. 2 hui. libr. §. 2.

§. 4, *utinam nihil detis . . . cessem*, si cum Mario veneris, velim mihi nihil temporis ad scribendum relinquatis, ut vestrae potius interpellationis iniuria, quam meae ignaviae culpa cessare videar. Iocose his verbis significat se non tam assiduum esse in libris scribendis literisque tractandis, quam Quintus putet; immo saepius cessare. — *Philoctetam,* qui quum a Graecis suis civibus in Lemno insula destitutus esset, eos execratus eorumque naufragiis et malis gavisus est. V. Hygin fab. 102. Ovid. Met. 13, 313 sqq. Cic. Tusc. 2, 7. de Fat. 16. — *ea spectac.* Orell. ex codd. edidit pro vulg. *illa sp.* — *spectacula* patriae laceratae et intestinis malis laborantis. — *quae tibi acerba esse video.* Schütz. emendare voluit: *q. t. a. sunt, video,* ut vv. *et meliorem civem esse* pendeant a *video,* non a *doleo,* quia hoc Ciceronem parum deceret. At vero hac coniectura facile supersedemus, quum Cicero, qui de republica iam desperaret, Quinti de ea sollicitudinem curamque haud *nimiam* esse vellet. — *Amabo te.* V. supra ad lib. 1. ep. 4. §. 1. — *abstergebo.* V. de hac forma Zumpt. §. 177 extr. Hoc v. proprie de lacrimis (Curt. 5, 5. Cic. Philipp. 14, 13.), vulneribus, cruore (Ter. Eun. 4, 7, 99. Liv. 1, 41.) usurpatum, figurate dicitur de molestiis (Cic. Sen. 1.) metu (Cic. ad div. 9, 9.) etc. — *Hortus domi est* i. e. ita propinquus aedibus, ut in ipsis aedibus esse videri possit. *Tislin* in Collectaneis in Epist. ad Quint. fratr. p. 281. sensum loci derivat ex differentia, quae obtinet inter *hortum* oleribus ac herbis consitum et *hortos* ad delicias et voluptates maxime comparatos (cf. Plin. h. n. 19, 14.), ita ut Cicero dicere voluerit, victum quidem apud se non admodum lautum delicatumque, sed opsoniorum olerumque facilem copiam fore. Quocum fere consentit Manut., qui *hortensia non longe petemus* interpretatur. Müller in Seebod. Archiv. 2, 3. p. 568 con-

EPISTOLA XI.

Scripta videtur mense Ianuario A. U. C. 700 (a. Chr. 54)
L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio Pulchro Coss.

Argumentum. Tenediis libertatem a senatu negatam; Quinti a Magnetibus mentionem honorificam factam esse refert 1—3. De Lucretii poëmatibus et Sallustii Empedocleis iudicium suum interponit 4.

MARCUS Q. FRATRI S.

Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. 1.
Nam res quidem ipsa et is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad scribendum argumenti sane dabat. Sed quemadmodum coram quum sumus, sermo nobis deesse non solet, sic epistolae nostrae debent interdum halucinari. Tenediorum igitur libertas securi Tenedia prae- 2.

iecerat: *Hortalus,* quod cognomen erat Q. Hortensii oratoris. V. ad Att. 2, 25, 1. 4, 15, 4.

EPISTOLA XI.

§. 1. *convicio* i. e. admonitione, querela paulo liberiore. Cf. epist. seq. §. 1. ad div. 12, 25, 2, ubi quod primo *quotidianas compellationes* dixerat, postea *iustissimum et honestissimum convicium* nominavit. Quinctil. praef. inst. or.: *Efflagitasti quotidiano convicio, ut libros . . . emittere inciperem.* — *quo tu es profectus* in villam. — *sermo nobis deesse non solet,* licet res certa nobis desit. — *halucinari,* quod v. Doederl. synonym. P. 3. p. 77 assimilatione ortum censet ex *hariolocinari,* cuius terminatio non a *canere* veniat, sed uti in *latrocinari, lenocinari, tirocinium* sit formata, significat: certa re non proposita garrire, quidquid in buccam venerit effundere. Cf. Gell. 16, 12.

§. 2. *Tenediorum,* qui per legatos a senatu petierunt, ut Tenedii suis legibus viverent; senatus vero censuit, ut eadem conditione, qua ceteri in provincia populi Romani tenerentur, h. e. ut legibus a populo Romano aut a provinciali magistratu datis uterentur. — *securi Tenedia,* τενεδίῳ πελέκει i. e. vehementi ictu, summa severitate, acerbissime. Iocose usus est hoc proverbio, quod Erasm. adag. Chil. 1, 9, 29. inde natum dicit, quod olim rex Tenes, a quo insula nomen accepit, securim gestans lites audire consuerit causaque iudicata protinus eum, qui fecisset iniuriam, securi percutere; aut quod Tenedius quidam rex legem tulerit in adulteros, ut utriusque corpus securi concideretur eiusque legis exemplum etiam in filium ediderit. Bentivogl. de *Tenedia securi* cf. iubet Conon. apud Photion. p. 437. Stephan. Byzant. et Suid. v. τένεδος et τενέδιος, Plut. de Pyth. orac., Diogenian. 8, 58. apud Andr. Schottum inter adagia

cisa est; quum eos praeter me et Bibulum et Calidium
3. et Favonium nemo defenderet. De te a Magnetibus
ab Sipylo mentio est honorifica facta, quum te unum
dicerent postulationi L. Sestii Pansae restitisse. Reliquis diebus si quid erit, quod te scire opus sit, aut
etiam si nihil erit, tamen scribam quotidie aliquid.
4. Pridie Id. neque tibi neque Pomponio deero. Lucretii
poëmata, ut scribis, ita sunt: *non* multis luminibus

Graecorum, atque Heraclid. de polit. v. *Tened.* — M. Calpurnium *Bibulum,* C. Caesaris in consulatu collegam a. u. 695. v. ad Att. 1, 17 extr. — M. *Calidium* oratorem, qui praetor designatus a. u. 690 de Cicerone revocando laboravit. V. Cic. post red. in sen. 9. supra ep. 1, 3. §. 7. infra 3, 2 init. Cic. Brut. 79, 274. — M. *Favonium,* Catonis amicum; post proelium Philippense captus et, quum catenatus produceretur, Antonio honorifice salutato in Caesarem Octavianum acerbissime invectus occiditur. V. Sueton. Aug. 13.

§. 3. *De te,* quia Magnesiam Quintus, quum esset in Asia pro praetore, triennio ante rexerat. — *a Magnetibus,* legatis urbis Magnesiae ad Sipylum in Lydia. Lectionem vulgatam *De te magis ab Sipylo* emendavit Victorius (var. lectt. 30, 1.). De lectione recepta Bentivogl. haecce monet: »*Magnetibus ab Sipylo* dixit, ut distinguantur ab aliis Magnetibus, puta ad Maeandrum. Modum loquendi confirmat Ciceronis numus, quem et Clericus meminit, in quo legitur ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ, apud Mionnet, Médailles grec. et rom. tom. IV, Lydie n. 385; et Strabo *XIII.* p. 891 ed. Oxon. 1807.« — *L. Sestii Pansae,* fortasse publicani, postulantis aliquid contra Asiaticos, quod ei concedi ius non esset. — *Pridie Id.* sc. Februar. V. ep. seq. init. — *neque tibi neque Pomp. deero,* fortasse ut communem utriusque rem in aliqua causa defenderet.

§. 4. T. *Lucretii* Cari, Epicurei *poëmata,* libri VI de rerum natura, qui hodie exstant. Cf. Forbiger de Lucr. carm. p. 116. — *non multis luminibus ingenii.* Sic edidit Schütz. ex coniectura Ernestii, probante Eichstadio ad Lucret. p. LXXXIX. Cum hoc Ciceronis iudicio consentiunt viri docti nostrae aetatis. Lectio vero codd. est: *ut scribis, ita sunt, multis luminibus,* i. e. ingenium poëtae produnt magis, quam artem; de qua Orell. haec adnotat: »Etsi vulgatam defendit Wakefield, vix aliter facere possumus, quam ut alterutro loco negationem vel contra codices inseramus, maxime propter v. *tamen,* quod oppositionem requirit. Scil. negatione omissa, ut lumina ingenii multa in Lucretio agnoscerentur, scriptum oportebat: *ita sunt: multis luminibus ingenii multaeque* (vel *multae etiam, multae item*) *artis:* aut, si mavis: *multis luminibus ingenii, maioris tamen artis.*« De locutione: *ut scribis, ita sunt,* cf. Müller et Orell. ad Cic. pro Sestio 8. Bentivogl. ad h. l. monet: Ciceronem emendasse et edidisse Lucretii poëmata, narrat Eusebius in Chronico. Ex quo inferre possumus, hoc tempore et emendandis poematiis Lucretii Marcum operam impendisse, et factum pro iis pugnare, qui mortem Lucretii anno u. c. 698 collocant. —

ingenii, multae tamen artis. Sed quum veneris, virum te putabo, si Sallustii Empedoclea legeris: hominem non putabo.

EPISTOLA XII.

Scripta Romae Idibus Febr. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem Consulibus.

Argumentum. De Commageni regis causa a Cicerone in senatu discussa 1—3; de literis a Caesare acceptis 4—5.

MARCUS Q. FRATRI S.

Gaudeo tibi iucundas esse meas literas: nec tamen habuissem scribendi nunc quidem ullum argumentum, nisi tuas accepissem. Nam pridie Id. quum Appius senatum infrequentem coëgisset, tantum fuit frigus, ut populi convicio coactus sit nos dimittere. De Commageno, quod rem totam discusseram, mirifice mihi et per se et per Pomponium blanditur Appius. Videt

1\. (margin, line "Gaudeo tibi…")
2\. (margin, line "populi convicio…")

virum te putabo i. e. fortem et patientem et molestia invictum, *si legeris,* potueris ferre, patienter legere *Empedoclea,* carmen de philosophia Empedoclis, brevitate et obscuritate molestum; *hominem non putabo,* sed expertem omnis humanitatis; sine sensu pulchri venustique. — De *Empedocle* Agrigentino v. Cic. orat. 1, 50. Amic. 7. Hor. ep. 1, 12, 20. Art. 464. Diog. Laërt. 8, 51 sqq.

EPISTOLA XII.

§. 1. *pridie Id.* Februarii. — *Appius* consul. — *populi,* stantis ante fores curiae in Graecostasi et gradibus; v. ep. 1. §. 3 hui. lib. — *convicio.* De significatione h. v. vide ep. antecd. §. 1.

§. 2. *Commageno.* Sic edidit e codd. Orell. pro vulgata *Comm. rege,* in qua *rege* e glossa addi notat. Intell. Antiochus, rex Commagenes, partis exiguae veteris Syriae cis Euphratem, cuius caput Samosata fuit. Bello Mithridatico finito quum Syria in provinciae formam redigeretur, Antiochus, filius Antiochi Eusebis et Cleopatrae Selenes, ultimus Seleucidarum, qui post Alexandri M. mortem in Syria regnarant, hanc regni Syriaci particulam cum titulo regis a Lucullo et Pompeio accepit. Cf. ep. ad div. 15, 1. 3; 4. §. 3. Plin. h. n. 5, 24. — *discusseram,* abieceram, ita contra eum locutus eram in senatu, ut tota res ad nihilum recideret. *Manut.* — *blanditur Appius,* metu, ne aliis quoque regibus aut legatis exteris, a senatu aliquid petentibus, obsistam. Etenim hi, quum preces a senatu impetrassent, consuli, qui ad senatum retulisset, munera aut etiam pactam mercedem dare solebant. Id quod significant vv., quae se-

enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum: eumque lusi iocose satis, neque solum illud extorsi oppidulum, quod erat positum in Euphrati Zeugmate: sed praeterea togam sum eius praetextam, quam erat adeptus Caesare consule, magno
3. hominum risu cavillatus. »Quod vult, inquam, renovare honores eosdem, quo minus togam praetextam quotannis interpolet, decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, qui Bostrenum praetextatum non ferebatis, Commagenum feretis?« Genus vides et locum iocandi. Multa dixi in ignobilem regem, quibus totus est explosus. Quo genere commotus, ut dixi, Appius, totum me amplexatur. Nihil est enim facilius

quuntur: *Videt enim ... Februarium sterilem futurum.* Cf. Abeken. l. c. p. 164. 171. — *Februarium*, quo mense postulata provinciarum legationesque audiebantur; v. ad div. 1, 4. §. 1. — *eumque* sc. Commagenum regem. — *in Euphrati Zeugmate.* Sic Orell. ex codd. Olivetum secutus, ubi *Euphrati* pro *Euphratis* positum est, de qua genitivi forma cf. Quinctil. 1, 5, 63. Brem. ad Nep. Themist. 1. Ernest. edidit *in Euphrate et Zeugmate.* Lambin. *in Euphrate, Zeugma.* Schütz. *in Euphrate*, auctore Manutio deleta voce *Zeugmate*, utpote ex glossemate addita. In Euphratis transitu vel ad pontem Euphrati positum erat oppidum, inde dictum Zeugma (ζεῦγμα, *pons, traiectus*), hodie *Bir*, ubi ex Alexandri tempore flumen traiicere solebant, uti antea ad Thapsacum. V. Plin. h. n. 5, 24, 21: *Zeugma transitu Euphratis nobile.* — *togam praetextam*, cuius iuris a Caesare consule impetrati, confirmationem tunc a senatu Antiochus petiisse videtur. Magno sibi honori esse putabant isti reguli, Romanorum magistratuum vestem induere.

§. 3. *Quod vult* = quod a nobis petit Antiochus, ut honorem praetextae novo decreto ei confirmemus. Ernest. edidit: *quod non vult;* Schütz. coniecit *quod nos vult.* — *renovare.* Orell. legendum censet *renovari.* — *interpolet* i. e. renovet; nam *interpolare* est vestem antiquam renovare, creta addita candidiorem reddere; ut *interpolare* tabulas (sc. cera) Verr. 1, 61. Sensus cavillationis in eo latet, quasi Antiochus, ni praetextae honor ei confirmetur, cogatur illam quotannis purgare togaeque nitorem reddere. — *decern. nihil censeo*, formula solennis in sententiis senatoriis, ubi nihil novari placeret. V. Liv. 41, 23. — *Bostrenum* i. e. Bostrenorum aliquem tetrarcham, uti Orell. monet. Vulgo *Busrenum*, ignotum nomen hic legitur. *Bostra* fuit vetus oppidum in Arabia Petraea, cuius regulus, quamvis exiguus, Commageno tamen paulo nobilior fuisse videtur. — *locum*, opportunitatem. — *explosus*, manibus cum sono pulsantibus e senatu eiectus, ignominiose pulsus. — *amplexatur*, in manibus habet, fovet, quibus verbis iungitur ep. ad div. 1, 9. —

quam reliqua discutere. Sed non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis Hospitalis, Graios omnes convocet, per quos mecum in gratiam rediit. Theopompo satisfaciemus. De Caesare fugerat me ad 4.
te scribere. Video enim, quas tu literas exspectaris. Sed ille scripsit ad Balbum fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat et mea et Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse: ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. Sed ex Balbi epistola pauca verba intellexerat, ad quae rescripsit his verbis: »De Cicerone te video quiddam scripsisse, quod ego non intellexi: quantum autem coniectura consequebar, id erat eiusmodi, ut magis optandum quam sperandum putarem.« Itaque postea misi ad Caesarem eodem illo 5.
exemplo literas. Iocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. Ad quem ego rescripsi nihil esse, quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret: lusique in eo genere et familiariter et cum dignitate. Amor autem eius erga nos perfertur omnium nuntiis singu-

reliqua discutere petitiones reliquorum eodem modo irritas reddere Cf. ad §. 2. — *non faciam* = non committam. — *Iovis Hospitalis,* Διὸς ξενίου, qui iniurias hospitibus factas ulciscitur et h. l. respectu reguli illius peregrini nominatur. — *convocet,* in me instiget. — *per quos* etc. res, quam respicit, prorsus ignota est.

§. 4. *Theopompo,* fortasse eidem, cuius mentio facta est supra l. 1. ep. 2. §. 9, qui ut inter legatos Caesaris esset in Gallia, fortasse rogaverat Quintus. V. Ern. ind. Cicer. — *fugerat me,* non in mentem mihi venerat. — *quas tu literas exp.*, nimirum quas Caesari posset ostendere. — *Balbum* Lucium Cornelium, gratiosissimum apud Caesarem, pro quo est Ciceronis oratio. V. ad Att. 2, 3, 3. 8, 9. ad div. 7, 7. — *intellexerat,* legere potuerat. — *de Cicerone* Quinto, sed *Marcus* quoque intelligi potest. V. Abeken l. c. p. 161. — *huiusmodi,* vulg. *eiusmodi.* — *mag. opt. quam sper. put.* nimirum Quintum ad eum venturum, ut operam in bello navaret.

§. 5. *eodem illo exemplo,* eiusdem argumenti quam superiores, quae aqua madidae Caesari redditae erant. — *iocum de sua egestate.* Caesar scripserat, argentum sibi non esse, quo Quintum posset ditare, studium et benevolentiam ei non defutura. — *arcae nostrae.* Iocus ioco relatus. Si tu, inquit, eges, nos non abundamus. Itaque arcae nostrae noli confidere; nam si decoxeris, ego te meis nummis tuo aere alieno non expediam. — *conturbaret* = decoqueret, aes alienum contraheret. V. Iuvenal. 7, 129. Martial. 9, 4, 5. Ern. cl. Cic.

laris. Et literae quidem ad id, quod exspectas, fere cum tuo reditu iungentur; reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modo tabellarios tu praebebis. Quamquam eiusmodi frigus impendebat, ut summum periculum esset, ne Appio suae aedes urerentur.

EPISTOLA XIII.

Scripta Romae postridie Idus Febr. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. De rebus Id. Febr. in senatu actis 1—3; de Callisthene et Philisto, historiae scriptoribus 4.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Risi »nivem atram«: teque hilari animo esse et prompto ad iocandum valde me iuvat. De Pompeio, assentior tibi, vel tu potius mihi. Nam, ut scis, iampridem istum canto Caesarem. Mihi crede, in sinu
2. est: neque ego discingor. Cognosce nunc Idus. De-

fere cum tuo reditu iungentur i. e. eo fere tempore perferentur ad te, quo tu reditum ad nos parabis. — *eiusmodi frigus;* vide init. hui. epist. — *suae aedes urerentur,* quod in domo consulis, quo salutandi ac deducendi causa quam plurimi convenirent, caminum esse oporteret, saeviente frigore, luculentissimum, *Manut.* Bentivogl. ad h. l. adnotat: *si εἰρωνικῶς dictum accipis* (quod cur fieri debeat non liquet, quum initio huius ep. disertissime de frigore loquatur Cicero) *mordet, credo, avaritiam Appii* (?).

EPISTOLA XIII.

§. 1. *nivem atram,* sc. de qua scripsisti. Anaxagorae fuit opinio, nivem esse atram, quod ex aqua fieret, quae nigra esset. V. Cic. Acad. 2, 31. Scripserat fortasse Quintus, nivem atram se invenisse, quasi tristem minimeque iucundam, quia scilicet ei per nives incommodissimo itinere eundum, ac forte etiam in ipsis nivibus cum hoste, non sine summo vitae discrimine pugnandum foret. *Manut.* — *de Pompeio,* non debere nos unius Pompeii amicitia niti, Caesarem simul esse complectendum, ut amicum Pompeio firmiorem. — *canto,* praedico, celebro, in ore frequenter habeo. — *in sinu est neque ego discingor,* faveo neque favere unquam desinam, ductum a rebus carissimis, quas in sinu gestamus; quae ne excidant non discingimur. Cf. Abeken. l. c. p. 162 sq.

§. 2. *Idus,* quae idibus Februariis facta sunt. Scripsit autem hanc epistolam postridie idus mane. V. h. ep. extr.

cimus erat Caelio dies. Domitius iudices ad numerum non habuit. Vereor, ne homo teter et ferus, Pola Servius, ad accusationem veniat. Nam noster Caelius valde oppugnatur a gente Clodia. Certi nihil est adhuc: sed veremur. Eodem igitur die Tyriis est senatus datus frequens: frequentes contra Syriaci publicani. Vehementer vexatus Gabinius: exagitati tamen a Domitio publicani, quod eum essent cum equis prosecuti. C. noster Lamia paullo ferocius, quum Domitius dixisset, »Vestra culpa haec acciderunt, equites Romani; dissolute enim iudicatis«: »Nos iudicamus, vos lauda-

Decimus i. e. constitutus edicto praetoris, quo die *Caelius* causam de vi dicere debebat apud praetorem Cn. Ahenobarbum. — M. *Caelio* Rufo, iterum accusato. Iam antea a. u. 698 ab Atratino, cuius patrem Caelius de ambitu accusaverat, reus factus erat de vi, quod Clodiam veneno tollere voluisset, quum haec aurum mutuum repetiisset, quo servos Lucceii ad caedem Dionis, legati Alexandrinorum, impelleret. Tunc Cicero ea quae exstat oratione defendit Caelium. Hoc anno 700 u. c. denuo a gente Clodia postulatur. — *iud. ad numerum non habuit.* Quum eo die, quo causam dici ex edicto praetoris oporteret, iudicum legitimus numerus non adesset, irrita fiebat accusatio, integrum tamen erat eam renovare; quod in hac Caelii causa veretur Cicero, ut verba, quae sequuntur, ostendunt. — *Pola Servius,* qui accusationes factitabat, quemque de gente Clodia aut gentis Clodiae studiosissimum fuisse putat Manut. Eius opera Appius Pulcher, P. Clodii frater, in accusando Caelio uti cogitabat. V. ad div. 8, 12, 2. — *ad acc. veniat,* accusationem renovet, denuo instituat. — *noster,* Ciceronis studiosissimum Caelium fuisse, patet ex utriusque epistolis et ex eo, quod tribunus pl. a. u. 702 Miloni favit et Ciceronis auctoritati paruit. V. Mil. 33. ad Att. 7, 1. Brut. 79. — *Tyriis,* legatis Tyro missis, ut de publicanis provinciae Syriae, cui attributa erat Phoenicia, quererentur. — *Gabinius,* qui proconsul Syriae ante Crassum praefuit et hoc anno Romam decessit, *vehementer vexabatur* a publicanis, quos ab exigendis vectigalibus impediverat. V. infra l. 3. ep. 2. §. 2. de prov. cons. 5. Dio l. 39, 63. Abeken l. c. p. 169 sq. — *Domitio* Ahenobarbo consule, qui cum altero Domitio praetore, init. hui. §. non est confundendus. — *prosecuti,* quum iret in provinciam, non: quum ex ea decederet; nam Octobri demum mense Romam venit Gabinius. V. infra l. 3. ep. 2. — *C. noster Lamia.* Schütz. auctore Manutio recepit *L. noster Lamia,* qui princeps equestris ordinis et Ciceronis studiosus erat, quemque Gabinius consul ex urbe eiecit, quum Ciceroni de exilio revocando operam daret. V. Or. in Sen. p. red. 5. pro Sext. 3. ad div. 11, 16. 17. 12, 29. ad Att. 13, 45. Plin. h. n. 7, 52. Val. Max. 1, 8. — *nos iudicamus,* nonnisi condemnamus aut absolvimus. — *vos* senatores *laudatis* reos: quos si absolvimus, quid reprehenditis, quum eosdem vos laudetis? Solebant reorum periculum summa auctoritate viri, antequam sententia ferretur, in

3. **tis«, inquit. Actum est eo die nihil: nox diremit. Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum, et, quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis senatum quotidie dari: ita putantur detrudi comitia in mensem Martium. Sed tamen his comitialibus tribuni pl. de Gabinio se acturos esse dicunt. Omnia colligo, ut novi scribam aliquid ad te. Sed, ut vides, res me**
4. **ipsa deficit. Itaque ad Callisthenem et ad Philistum redeo, in quibus te video volutatum. Callisthenes quidem vulgare et notum negotium; quemadmodum**

iudicio publica laudatione sublevare. V. Cic. pro Cluent. 40. Verr. 5, 23. Sigon. de Iud. 2, 19. — *nox diremit;* nocte enim senatum habere non licebat.

§. 3. *Quirinalia,* de quibus v. ad ep. 3, 2. hui. libr. — *lege Pupia,* quae comitialibus diebus, et toto mense Februario nisi perfectis aut reiectis legationibus aliis de rebus, senatum haberi vetabat. Cf. ad div. 1, 4, 1. *Hac* tamen *lege se non impediri, quominus senatum habeat,* quum ait Appius, id tunc fuit, quando nonnisi de legationibus senatum habebat. — *Gabinia* lege, Pupiae simili, sancitum erat, *ut mense toto Februario quotidie,* h. e. omnibus diebus, quibus senatus haberi posset, s. qui comitiales non essent, *Senatus legationibus daretur.* Appius vero hoc *quotidie* de omnibus diebus, sive comitiales, quibus senatus haberi non poterat, sive non comitiales essent, interpretabatur. — *dari.* Schütz. de Faërni coniectura edidit: *dare.* — *comitia* creandorum praetorum. — *his comitialibus,* sex Februarii mensis diebus comitialibus, quibus senatum habere volebat Appius. — *tribuni pl.,* maxime C. Memmius, qui eum de repetundis postulavit. V. infra l. 3. ep. 1. §. 15 sqq. — *Gabinio,* ut ei Syriae imperium abrogetur. — *acturos,* apud populum rogationem promulgaturos.

§. 4. *redeo.* Delevit h. v. Schütz. de Mureti sententia, cui (Varr. lectt. 2, 5.) hoc verbum suspectum fiebat, quum in cod. invenisset *video* pro *redeo.* Etiamsi neque in hac neque in superiore epistola Callisthenis et Philisti mentio fiat, tamen *redeo* servari poterit, quia fortasse alia epistola, quae non exstat, Marcus de duobus his historicis locutus erat. V. etiam Manut. ad h. l. — *Callisthenes* Olynthius, Aristotelis discipulus, Alexandri comes, scripsit de rebus gestis Alexandri M. et Troicum bellum V. de orat. 2, 14. Tusc. 3, 10. divin. 1, 34; 2, 25. ad div. 5, 12. Curt. 8, 5. 8. *Philistus* Syracusius, Dionysii familiarissimus, cuius contra Dionem partes secutus, exercitu cui praeerat devicto, a civibus suis interfectus est. Scripsit de rebus Siculis libros XI. V. de orat. 2, 13. Brut. 17. 85. divin. 1, 20. Diod. Sic. I. 13. p. 615 Wessel. — *volutatum,* assidue versatum. — *vulgare et notum negotium.* De usu v. *negotium* cf. ad Att. 1, 12: »Teucris illa lentum sane negotium«; post red. in

aliquot Graeci locuti sunt. Siculus ille capitalis; creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides: sed utros eius habueris libros — duo enim sunt corpora — an utrosque, nescio. Me magis de Dionysio delectat. Ipse est enim veterator magnus et perfamiliaris Philisto. Sed quod adscribis, aggrederisne ad historiam? Me auctore potes. Et, quoniam tabellarios subministras, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. Oblecta te cum Cicerone nostro quam bellissime.

EPISTOLA XIV.

Scripta in Cumano vel Pompeiano mense Maio A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Nuntiat se librum de re publica scribere 1; Quinto operam in mandatis eius persequendis pollicetur 2; Orfium et Trebatium commendat 3.

MARCUS Q. FRATRI S.

Duas adhuc a te accepi epistolas: quarum alteram 1.

sen. 6. »inhumanum negotium« = inhumanus homo. Similiter apud Graecos usurpatur χρῆμα. — *vulgare et notum* i. e. commune, triviale, non exquisitum. — *quemadm. aliq. Gr. locuti sunt,* quemadmodum nonnulli Graeci de eo iudicarunt; non: scribendi genus vulgare et notum est, quemadmodum aliorum Graecorum. V. *locuti sunt* Muretus, in cuius codice omissa erant, deleri voluit. — *Siculus ille,* Philistus. — *capitalis* i. e. ingeniosus, primarius; non vulgaris. Ovid. Fast. 3, 839. »*capitale* vocamus ingenium sollers«. — *creber* i. e. densus, rebus abundans, paucis verbis multa complectens; de orat. 2, 13 »Thucydides ita *creber* est rerum frequentia«. — *pusillus Thucydides,* de quo Quinctil. 10, 1: »densus et brevis et semper instans sibi«. — *de Dionysio,* liber, in quo de Dionysii senioris rebus gestis egerat. V. Victor. Varr. lectt 33, 19. — *Ipse,* Dionysius. — *veterator,* astutus, vafer. — *perfamiliaris Phil.,* ita ut Philistus omnia, quae de Dionysio narrat, optime omnium nosset. — *quod adscribis* = quod attinet ad id, quod praeterea scribis. — *historiam* scribendam. — *Lupercalibus* i. e. cras, nam Lupercalia a. d. XV. Kal. Mart. celebrabantur. V. Ovid. Fast. 2, 267 sqq. 284 sqq. 425 sqq. Liv. 1, 5. — *habebis,* rescisces; coll. ep. anteced. extr. — *quam bellissime* i. e. quam iucundissime, quam suavissime.

EPISTOLA XIV.

§. 1. *quarum.* Delevit hoc pronomen Schütz. auctore Ernestio. At omnia plana sunt, si post *datam* supples: *accepi.*

in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam: plures, quas scribis te dedisse, non accèperam. Ego me in Cumano et Pompeiano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam et eram in eisdem locis usque ad Kal. Iun. futurus. Scribebam illa, quae dixeram πολιτικά: spissum sane opus et operosum. Sed, si ex sententia successerit, bene erit opera posita. Sin minus: in illud ipsum mare deiiciemus, quod spectantes scribimus. Aggrediemur alia, quo-
2. niam quiescere non possumus. Tua mandata persequar diligenter et adiungendis hominibus et quibusdam non alienandis. Maximae mihi vero curae erit, ut Ciceronem tuum nostrumque videam, scilicet quotidie: sed inspiciam quid discat quam saepissime: et, nisi ille contemnet, etiam magistrum me ei profitebor: cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum
3. dierum otio, Cicerone nostro minore producendo. Tu, quemadmodum scribis, quod etiam si non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam, facies, scilicet,

in ipso discessu nostro i. e. statim postquam a te discessi. — *Arimino,* primo provinciae Caesaris oppido, quum ad eum Quintus proficisceretur. — *Cumano et Pompeiano,* duabus Ciceronis villis in Campania prope Cumas et Pompeios. — *oblectabam.* Alii: *oblectabar.* — *dixeram* me scripturum. — *πολιτικά*, libros de republica, quas in Cumano scribere instituit. V. infra l. 3. ep. 5 init. ad Att. 4, 14; 16, 2 sq. — *spissum,* lentum, tardum, difficile. V. ad div. 2, 10. 4. Cic. orat. 2, 53. 3, 36. — *quod spectantes scribimus.* Ita Orell. cum codd. edittque vett. pro vulg. *scribentes spectamus.* — *quiescere,* nihil agere.

§. 2. *adiungendis* ad amicitiam. — *sed inspiciam.* Bentivogl. *sed et inspiciam;* eidem tamen correctio in margine exemplaris editionis principis Victorianae *et inspiciam* magis arridet. — *discat* Tyrannione doctore; v. supra ep. 4 hui. libr. §. 2. — *otio,* a iudiciorum reique publicae cura in villa liber. — *minore* gloss. videbatur Manutio, quia ad Ciceronem minorem a *maiore* Quinti filio distinguendum, quum ad fratrem scribat, non opus erat addere *minore.* At enim supra utroque pronomine *tuum nostrumque* Quinti tantum filium significasse videtur, h. l. autem quum de suo tantum filio loquatur, ad ambiguitatem vitandam v. *minore* adiecit. Cf. infra 3, 1, 14; 3, 4. — *producendo* i. e. instituendo, formando (v. Iuven. 6, 241. 14, 228), aut producendo, uti Orellius monet, ad ῥήσεις (latine: *partes,* ac declamatiunculas inter amicos recitandas). Absque necessitate igitur Schütz. reposuit *perdocendo.*

ut mea mandata digeras, persequare, conficias. Ego, quum Romam venero, nullum praetermittam Caesaris tabellarium, cui literas ad te non dem. His diebus — ignosces — cui darem, fuit nemo ante hunc M. Orfium, equitem Romanum, nostrum et pernecessarium et quod est ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra. Itaque eum tibi commendo in maiorem modum, hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum: quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. Est tribunus militum in exercitu vestro. Gratum hominem observantemque cognosces. Trebatium ut valde ames, vehementer te rogo.

§. 3. *digeras,* ordines, ne quod ex mandatis elabatur aut praetermittatur; ut explicat Ernest. *Digerere* prudentiae est, *persequi* diligentiae, *conficere* constantiae, *Manut.* — *M. Orfium.* Cf. ad div. 7, 5, 2. — *equitem Romanum.* Haec vv. suspecta Ernestio de glossa, quum non Quintus solum, sed omnes tunc temporis eum esse equestris ordinis scirent. At enim adiecta videntur h. v., ut designetur homo certae fidei, cui epistola credi possit; idque indicant etiam quae sequuntur vv. *nostrum et pernecessarium.* — *et quod est ex m. A.* Hoc *et* Orellio videtur delendum Quod si a Cicerone profectum est, anacoluthon inest sententiae, quum scriptor adiectivum, quod cum v. *pernecessarium* coniunctione *et* iungendum erat, post *quod sc. esse in fide nost.*, quibus vv. *municipio Atellano* explicantur, omiserit. V. Klotz. ad Cic. Tusc. 3, 3, 5. — *munic. Atell.* Atellae, vetus in Campania municipium, ubi hodie *Aversa* est — *in fide nostra.* Municipia coloniaeque Romanae e senatorum numero eligere solebant aliquem, qui causam eorum in senatu defenderet, *in cuius fide esse* dicebantur. — *splendidum,* divitem, perpetuum equestris ordinis epitheton. — *liberalitate,* officiis, humanitate. — *in exercitu vestro.* Vulgo: *in exercitu nostro,* id quod Schütz. mire explicat: *est antesignanus clientum nostrorum,* quemadmodum ep. ad Att. 1, 1, 2. asseclas et clientes Pompeii, *Pompeii manum* appellat. Wieland. legiones intelligi vult, quibus Pompeius, praeses provinciae Hispaniae, praeerat.

EPISTOLA XV.

Scripta Romae mense Iunio A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Caesaris in se et Quintum amorem et liberalitatem collaudat, suumque erga eum studium pollicetur 1—2; de Trebatio benigne a Caesare accepto, et Curtio ei commendato 3—4; de rerum Romanarum statu 5.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. A. d. IIII. Non. Iun., quo die Romam veni, accepi tuas literas, datas Placentia: deinde alteras postridie, datas Laude, Nonis cum Caesaris literis, refertis omni officio, diligentia, suavitate. Sunt ista quidem magna, vel potius maxima. Habent enim vim magnam ad gloriam et ad summam dignitatem. Sed mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi aestimo, id iam habeo: te scilicet primum tam inservientem communi dignitati: deinde Caesaris tantum in me amorem: quem omnibus iis honoribus, quos me a se exspectare vult, antepono. Literae vero eius una datae cum tuis, quarum initium est, quam suavis ei tuus adventus fuerit et recordatio veteris amoris; deinde, se effecturum, ut ego in medio dolore ac desiderio tui, te, quum a me abesses, potissimum secum
2. esse laetarer: incredibiliter delectarunt. Quare facis

§. 1. *Placentia.* Iure recepit Orell. pro vulg. *Placentiae,* quia Cicero sic semper non genit. sed ablativ. casum exhibet, ut ep. anteced. §. 1. *Arimino datam.* — *Laude, Nonis* est emendatio Car. Sigonii, quam probavit Manut., recepit Schütz. *Laus Pompeia* in Gallia Transpadana (hodie *Lodi*) a Boiis condita, a Cn. Pompeio Strabone, patre Cn. Pompeii M., iura municipii accepit; X M. P. fere Placentia distat. Vulgatam *Blandenone* nemo geographus novit. — *ista,* honores, quos me a se exspectare vult, ut statim sequitur. — *Hab. vim magn.,* magnopere valent. — *quem nosti,* quem non mentiri scis. — *recordatio veteris amoris,* Clodianis temporibus interrupti, quum Caesar P. Clodium ad plebem traduxit. Vid. Suet. Caes. 20. — *incred. delectarunt.* Orell. pronom. *me* excidisse suspicatur.

tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum conferam. Ego vero ardenti quidem studio hoc fortasse efficiam, quod saepe viatoribus, quum properant, evenit: ut, si serius, quam voluerunt, forte surrexerint; properando, etiam citius, quam si de nocte vigilassent, perveniant, quo velint: sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem tum equis, tum vero — quoniam scribis poëma ab eo nostrum probari — quadrigis poëticis. Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me rogat, manenti, vacuum ostenditur? Sed videro. Fortasse enim, ut fit, vincet tuus amor omnes difficultates. Trebatium quod ad se miserim, persalse 3.
et humaniter etiam gratias mihi agit. Negat enim in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset. M. Curtio

§. 2. *currentem nunc quidem* adeoque adhortatione non egentem. — *mea studia*, v. ad pet. Cons. §. 16. p. 23 sq. — *de nocte.* V. Zumpt. §. 308. Ernest. et Schütz.: *de multa noote.* — *vigilassent.* Lambinus: *evigilassent*, quod necessarium non esse probat exemplis ex or. pro Mur. 22. ep. ad Att. 9, 12. et Plauti Mostell. 2, 1, 36. allatis Malaspina, reponit contra Burmann. ad Suet. Aug. 78. — *poëma* de temporibus suis. Cf. supra ep. 9 init. h. l. infra ep. sq. §. 5; lib. 3, 1. §. 11; 8, §. 3; 9, §. 6. Abeken l. c. pag. 173. — *quadrigis poëticis.* Pro eo, quod alias per proverbium (*equis viris* v. ad div. 9, 7. off. 3, 33.) additur *viris*, h. l. iocose adiecit Cicero *quadr. poët.*, quibus verbis significat, se cum aliis rebus, tum vero carmine in honorem Caesaris scripto gratiam ab eo initurum. — *Britanniam*, res a Caesare in Britannia gestas. — *coloribus tuis*, narratione tua de Caesaris in Britannia gestis, quae sit carminis materia. — *penicillo meo*, arte mea. — *iste*, Caesar. — *vacuum* a rebus forensibus, a causis dicundis. — *tuus amor* i. e. amor tui. — *vincet* ... *omnes difficultates*, ut vel in summis occupationibus poëma de rebus a Caesare gestis componam.

§. 3. C. *Trebatium* Testam v. ad div. 7, 5, 1 sqq; 6; 7; 8. Heind. introduct. ad Hor. sat. 2, 1. p. 231. — *una* = secum, apud se. — *vadimonium concipere posset* i. e. iuris consultus alicuius numeri esset. Nam *vadimonium concipere* est formulam scribere, qua *vadimonium*, praesentia in iure, postularetur et promitteretur; v. Ern. cl. Cic. s. v. Heind. ad Hor. sat. p. 192 sq. — *M. Curtio* Po-

tribunatum ab eo petivi — nam Domitius se derideri putasset, si esset a me rogatus: hoc enim est eius quotidianum, se ne tribunum militum quidem facere: etiam in senatu lusit Appium collegam propterea isse ad Caesarem, ut aliquem tribunatum auferret: — sed in
4. alterum annum. Id et Curtius ita volebat. Tu, quemadmodum me censes oportere esse in re publica et in nostris inimicitiis, ita et esse et fore auricula infima
5. scito molliorem. Res Romanae se sic habebant. Erat nonnulla spes comitiorum, sed incerta: erat aliqua suspicio dictaturae, ne ea quidem certa: summum otium forense, sed senescentis magis civitatis quam acquiescentis. Sententia autem nostra in senatu eiusmodi, magis ut alii nobis assentiantur, quam nosmet ipsi. Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.

stumo; v. infra 3, 1, 10. ad Att. 10, 13. 9, 2. 12, 49. 14, 9. — *tribunatum* militum. — *Domitius* Ahenobarbus, consul huius anni cum Appio Pulchro, Caesaris adversarius. — *rogatus*, ut ad Caesarem scriberet de tribunatu Curtio mandando. — *quotidianum* sc. dictum. — *isse ad Caesarem*, duobus annis ante, 698 u. c. V. supra ad l. 2. ep. 6. §. 6.

§. 4. *auricula infima*, parte auris infima. — *molliorem* i. e. remissiorem lenioremque in tuenda re publica et in persequendis inimicis. *Mollior auricula infima* in proverbio apud Romanos dicebatur.

§. 5. *comitiorum*, quae tamen hoc anno habita non sunt; nam Cn. Domitius Calvinus et M. Valerius Messala, consules anni sequentis ex interregno creati. Dio Cass. 40, 46. ad Att. 4, 16, 6. — *dictaturae* Pompeii. v. infra 3, 8, 4. ad Att. 4, 16, 11: *est nonnullus odor dictaturae.* Eam verbis recusabat Pompeius, revera autem affectabat. — *senescentis*, non quia desit materia forensis, sed quia civitas omnium rerum taedio laborat. — *quam nosmet ipsi*, quum ne offenderet principes, cogerentur cedere, indeque sibi minus satisfaceret. — Τοιαῦθ' ... ἐξεργάζεται. Senarius ex Eurip. Supplic. 119. a Theseo pronunciatus cum Adrasto loquente. Quum enim hic fortunam suam adversam lamentaretur narrans caedem fortium virorum ducumque in Thebana clade, dixissetque ἐνταῦθ' ἀπώλεσ' ἄνδρας Ἀργείων ἄκρους, subiungit Theseus: Τοιαῦθ' ὁ τλήμων κ. τ. λ. i. e. *talia aerumnosum bellum efficit.*

EPISTOLA XV EXTR.

Scripta Romae mense Quintili A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Nihil opus esse rescribit fratri, ut sui periculi causa citius quam ipsi opus sit e provincia Romam redeat 1—3; ambitum in urbe valde ingravescere significat 4.

MARCUS Q. FRATRI S.

Calamo et atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. Scribis enim te meas literas superiores vix legere potuisse: in quo nihil eorum, mi frater, fuit, quae putas. Neque enim occupatus eram neque perturbatus nec iratus alicui: sed hoc facio semper ut quicunque calamus in manus meas venerit, eo sic utar, tamquam bono. Verum attende nunc, mi optime et suavissime frater, ad ea dum rescribo, quae tu in hac eadem brevi epistola πραγματικῶς valde scripsisti. De quo petis, ut ad te, nihil occultans, nihil dissimulans,

(Margin numbers: **1.** beside "Calamo et atramento temperato, charta etiam den-"; **2.** beside "tamquam bono. Verum attende nunc, mi optime et")

§. 1. Novae epistolae initium hic esse iam Manutius vidit, deque eius sententia a superiore disiunxit Schütz. — *temperato,* non nimis tenaci et belle composito, ad scribendum aptissimo. Cf. Vitr. 7, 10. Plin. 36, 5. — *dentata,* polita, laevigata dente conchave. Plin. H. N. 13, 12 sect. 25: *Scabritia chartae laevigatur dente conchave.* Haec nostra verba sensu proprio cum Manutio accipienda sunt, quod et illa de atramento temperato, de charta polita suadent, et quae sequuntur: *quicunque calamus in manus meas venerit* cet. postulant. Metaphorice interpretatur Erasmus adag. Chil. 3, 6, 87, nimirum de Cicerone acerbe et iracunde scribente, et temperantius ac moderantius in posterum scripturo. — *res agetur* = scribetur. — *in quo,* quod meas literas legere non potuisti. — *nihil eorum fuit* nulla earum causarum fuit, *quae putas,* quas suspicaris.

§. 2. πραγματικῶς, more hominis rerum agendarum periti. — *De quo petis* cet. Orell. ad h. l.: »Sic scribendus videbatur, inquit, locus corruptus et a librariis et a criticis. Scil. fraterne Marcus significat Quinto, satius omnino esse, ut donec expedita sit eius res familiaris, apud Caesarem remaneat. Iam nostrae lectionis sententia haec est: »Quod ad id attinet, quod petis, ut ad te fraterne rescribam, id est (= id eo spectat), ut ad expediendum te, si causa sit, potius istic commorere; *utrum voles dixerim* i. e. sive apertius nunc dicam, te commorari debere, sive contra.« Nisi igitur magno opere

nihil tibi indulgens, germane fraterneque rescribam, id est, utrum voles dixerim, ut ad expediendum te, si causa sit, commorere. Si, mi Quinte, parva aliqua res esset, in qua sciscitarere, quid vellem: tamen, quum tibi permissurus essem, ut faceres, quod velles, ego ipse, quid vellem, ostenderem. In hac vero re hoc profecto quaeris, cuiusmodi illum annum, qui sequitur, exspectem: plane aut tranquillum nobis aut certe munitissimum: quod quotidie domus, quod forum, quod theatri significationes declarant: neque laborant, † quod mea conscientia copiarum nostrarum, quod Caesaris, quod Pompeii gratiam tenemus. Haec me, ut confidam, faciunt. Sin aliquis erumpet amentis hominis furor, omnia sunt ad eum frangendum expedita.

3. Haec ita sentio, iudico, ad te explorate scribo. Dubitare te, non assentatorie, sed fraterne veto. Quare suavitatis equidem nostrae fruendae causa cuperem te

fallor, optionem dat fratri, ita tamen, ut commorationem eius apud Caesarem manifesto praeferat. V. autem *quam voles, quantum voles, utrum voles* minus intellecta saepe corruptelae ansam praebuerunt.« Ernest. ita locum edidit: *De quo petis, ut ad te, nihil occultans, nihil dissimulans, nihil tibi indulgens, genuine fraterneque rescribam, id est utrum voles ut dixerimus, an ad expediendum te, si causa sit, commorere;* ubi, quod monet Orell., significatu prorsus inaudito, *voles* quasi a v. *volare* positum esse dicitur pro *advoles.* Schütz. deletis vv. *de quo* emendavit: *Petis . . . rescribam, id est, utrum huc advoles, ut dixeris, an ad expediendum te, si c. sit, commorere.* — *germane* dedit Orell. vett. editt. secutus pro vulg. *genuine*, quod Orellio Italismus videtur et sane alibi non legitur. — *hoc prof. quaeris* = idem est ac si quaereres. — *domus* a multis celebrata. V. ad Att. 2, 22, 3. — *forum*, causae forenses a me agendae. — *theatri signific.*, signa benevolentiae, quae mihi theatrum ingredienti a populo dantur. V. supra ad l. 1, ep. 1. §. 42. ad Att. 4, 15, 6: *Veni in spectaculum, primum, magno et aequabili plausu;* coll. ad Att. 2, 19, 3. — *neque laborant.* Locus, ut Orell. monet, conclamatus. »Nihil iuvant Codd. Mihi legendum videtur: *neque laborandum*, vel *laboramus, quae mea conscientia copiarum nostrarum;* (quae per se spectatae sane tenues sunt: verum ideo non laborandum) *quod Caesaris, quod Pompeii gratiam tenemus.*« Schütz. coniectura emendavit: *nec laboramus conscientia copiarum nostrarum.* — *copiarum nostrarum* = clientum, pedissequorum nostrorum. — *Haec me, ut conf., faciunt.* Delendum *me* censebat Ernest.; sed ex notissima inversione dictum esse pro: *haec, ut ego confidam, faciunt.*, recte notavit Orell. — *ament. hom.*, Clodii.

§. 3. *explorate*, certe, vere, argumentis fisus. — *suavitatis*, iu-

ad id tempus venire, quod dixeras, sed illud malo tamen, quod putas; † magis illa, etiam magni aestimo me, ἀμφιλαφίαν illam tuam et exspectationem debitorum tuorum. Illud quidem sic habeto, nihil nobis expeditis, si valebimus, fore fortunatius. Parva sunt, quae desunt, nostris quidem moribus, et ea sunt ad explicandum expeditissima, modo valeamus. Ambitus 4.
redit immanis. Nunquam fuit par. Idib. Quint. fenus fuit —S— ex = =, coitione Memmii, † est quo cum Domitio, hanc Scaurus unum vincere. Messala flac-

cundae praesentiae, coniunctionis sermonis. — *illud malo*, ut istic, si causa sit, commorere. — † *magis illa, etiam* etc. Locus corruptus, de quo Orell. haec habet: »Omnes codd. videntur habere *etiam*, non *etenim*; et *aestimo me*. Schütz. emendavit: *quod putas: etenim magni aestimo ἀμφ. illam tuam et explicationem debitorum.*« V. *explicationem* idem Orell. praefert coniecturae Tunstalli: *expeditionem*; et Ciceronem scripsisse suspicatur: *sed illud malo tamen, quod putas; magis etiam illa: (etenim magni aestimo:) ἀμφιλαφίαν illam tuam et explicationem debitorum tuorum* i. e. sed illud malo tamen, quod nunc putas, fore scil. ut Caesar alicui expeditioni et honorificae et lucri plenae te mox praeficiat; ante omnia autem spem meam repono in tota ἀμφιλαφίᾳ illa tua et explicatione debitorum tuorum, idque sane magni aestimo; quam tamen explicationem perficere non poteris, nisi diutius commorabere apud Caesarem. — *exspectationem*, pro quo sensu carente Schütz. edidit *explicationem*. V. *explicatio*, *explicare*, uti *expeditio*, *expedire*, in re pecuniaria dicitur pro: solvere debitum s. aes alienum. V. ad Att. 13, 29; 5, 1, 4. 6. — ἀμφιλαφίαν. Cf. supra ad 2, 6. §. 3. — *nobis expeditis* = soluto aere nostro alieno. — *nost. quid. moribus*, qui non laute et copiose vivimus. — *ad explicandum expeditissima* facillime explicari, expediri poterunt. — *modo* = dummodo.

§. 4. *Id. Quint. fenus fuit.* Sic praeclare Victorius emendavit locum ex Ep. ad Att. 4, 15, 7: *Fenus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus.* Notis Victorianis (Z ex ZZ; et Lamb. 33 ex 3. tum Manut. Ern. Sch Lün. ZZ ex Z) Orellius praeeunte Gronovio Observv. 4, 9. substituit Volusianas, quae significant: *bessibus ex triente* = $\frac{2}{3}$ ex $\frac{1}{3}$, ita ut fenus sit duplicatum; in triente enim quatuor de centum, bessibus autem octo de centum solvebantur. — *coitione Memmii*, »pactione, ut ipse et suus competitor Domitius Calvinus HS quadragena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, quum lex curiata ferretur, quae lata non esset: et duo consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, quum omnino ne senatus quidem fuisset«. Ad Att. 4, 8, 2. — † *est quo cum Domitio* etc. Locus conclamatus. Ern. edidit: *quam cum Domitio habuit Scaurus, unum vincere;* Schütz. emendavit: *quam cum Domitio fecit, Scaurum ut vinceret.* Cf. infra 3, 1. §. 16. Abeken l. c. p. 164. — *Domitio*, Cn. Domitio Calvino. — *Scaurus*, M. Aemilius Scau-

cet. Non dico ὑπερβολικῶς: vel HS centies constituunt in praerogativa pronuntiare. Res ardet invidia. Tribunicii candidati compromiserunt, HS quingenis in singulos apud M. Catonem depositis, petere eius arbitratu, ut, qui contra fecisset, ab eo condemnaretur. Quae quidem comitia si gratuita fuerint, ut putantur, plus unus Cato fuerit, quam omnes leges omnesque iudices.

rus, filius eius, qui princeps senatus fuit, Sullae dictatoris privignus, propraetor Sardiniae. V. Cic. de off. 2, 16. 1, 39. pro Sext. 54. ad Att. 4, 15. infra l. 3, 8. §. 3. Plin. H. N. 36, 15. Pigh. ann. ad a. u. 695. — M. Valerius *Messala flaccet,* languet, ut ad Att. 4, 15, 7 dicit, quia coitio consulum et Pompeius ei oberant. Tamen Messala consul factus est. — ὑπερβολικῶς, supra veritatem. V. ad Att. 5, 21, 7; 6, 2, 4. — *in praerogativa.* Ern. coniecit: *in praerogativam;* sed quia ad Att. 14, 1. legitur: *in tribu pronuntiare* nihil mutavit. Coll. ad Att. 1, 16. Centuria vel tribus, quae per sortem prima rogabatur, quos vellet consules fieri, nominabatur *praerogativa;* quam quia ceterae centuriae vel tribus in suffragando fere semper sequebantur (pro Planc. 20) factum est, ut magni eam emerent candidati. — *pronuntiare,* promittere, polliceri se daturos, si eam tulerint eiusque suffragiis consules fuerint designati. Ad Att. 1, 16. 13: *qui nummos in tribus pronuntiarit;* coll. Cic. pro Planc. 18. Suet. Caes. 19. Sen. ep. 118. — *Res ardet invidia.* Cf. ad Att. 4, 18, 2: *Consules flagrant infamia.* — *M. Catonem* Uticensem, hoc anno praetorem et quaesitorem de ambitu. Cf. ad Att. 4, 15. §. 7 sq. — *eius arbitratu,* quo ille voluisset modo, sine largitione. — *qui contra fecisset,* qui tribunatum pl. contra eius praescriptum petiisset. — *condemnaretur,* amitteret pecuniam apud Catonem depositam, quae aliis, qui more maiorum petiissent, tribuerentur. — *gratuita,* non corrupta nummis. Cf. ad Q. Cic. de pet. Cons. p. 72. — *fuerit,* potuerit, ut ad Att. l. c. dicit, sc. ad ambitum coërcendum. Schütz. de Lamb. coniect. emendavit *potuerit,* quam correctionem non prorsus necessariam iudicat Orell., etsi sic sit ad Att. 4, 15, 8. — *quam omnes leges omnesque iudices,* quia Cato candidatos ad sanum veteremque petendi morem revocaverit, quod legum iudicumque metus vix efficere solet.

EPISTOLA XVI.

Scripta Romae mense Sextili A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Scribit se a causis et iudiciis nunquam districtiorem fuisse 1; de ambitu quum atrocissime ageretur, se in senatu non fuisse 2; de Drusi, Vatinii et Scauri iudicio 3; gratulatur fratri amplam de rebus Britannicis scribendi materiam 4; denique quid de suis versibus Caesar iudicaverit, sciscitatur 5.

MARCUS Q. FRATRI S.

Quum a me literas librarii manu acceperis, ne 1. paullum me otii habuisse iudicato: quum autem mea, paullum. Sic enim habeto, nunquam me a causis et iudiciis districtiorem fuisse, atque id anni tempore gravissimo et caloribus maximis. Sed haec, quoniam tu ita praescribis, ferenda sunt; neque committendum, ut aut spei aut cogitationi vestrae ego videar defuisse: praesertim quum, tametsi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem sim collecturus. Itaque, ut tibi placet, damus operam, ne cuius animum offendamus atque ut etiam ab iis ipsis, qui nos cum Caesare tam coniunctos dolent, diligamur: ab aequis vero aut etiam a propensis in hanc

§. 1. *librarii manu* scriptas. — *ne paullum* quidem *otii* h. e. nullum. — *mea* manu scriptas, — *paullum,* nonnihil otii. Sic edidit Orell. ex codd. edittque auctoritate. Ernest. *nullum* sine sensu; Schütz. in edit. mai. *ne nullum,* quod correxit in edit. min. in *nonnullum,* quod idem est ac *paullum;* sed praestat Codd. lectio. Ad sententiam cf. infra 3, 3: *Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus;* ad Att. 4, 16: *Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est.* — *habeto,* scito. — *vestrae,* tuae et Caesaris, qui me hunc laborem forensem etiam sua causa sustinere vult. Cf. supra ep. 15. h. l. §. 2: *quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste* (Caesar) *me rogat, manenti, vacuum ostenditur?* — *difficilius,* ferre tantum laborem. Haec difficultas in eo potissimum posita erat, quod utrique parti inservire cupiens hanc saepe eadem opera laederet, qua alteram sibi devinciret, neque M. Calpurnium Bibulum consularem, M. Catonem praetorem, Domitium Ahenobarbum consulem, Caesaris adversarios, a se alienare vellet. — *ab iis ipsis,* Caesaris inimicis, modo nominatis. — *ab aequis,* qui in utram-

2. partem vehementer et colamur et amemur. De ambitu quum atrocissime ageretur in senatu multos dies, quod ita erant progressi candidati consulares, ut non esset ferendum: in senatu non fui. Statui ad nullam medicinam rei publicae sine magno praesidio accedere.
3. Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus, in summa, quattuor sententiis, quum senatores et equites damnassent. Ego eodem die post meridiem Vatinium eram defensurus. Ea res facilis est. Comitia in mensem Sept. reiecta sunt. Scauri iudicium statim exercebitur: cui nos non

que partem aequo animo sunt, neque studio neque odio in Caesarem affecti. Bentivogl. vero vv. *ab aequis* significari Pompeio addictos monet. — *in hanc partem*, Caesaris.

§. 2. *candidati consulares*, de quibus v. ep. anteced. §. 4. ad Att. 4, 15, 7. — *in senatu non fui*, quum haec scripsit; postea tamen fuit; v. ad Att. 4, 16, 6. — *sine magno praesidio* eorum, qui in senatu mecum sentiant meque, quum opus sit, defendant.

§. 3. *Drusus;* v. ep. ad Att. 4, 15, 9. accusatus a Lucretio; ad Att. 4, 16, 5. — *de praevar.*; Praevaricari de causarum actoribus dicitur, qui susceptam causam corrupte et fraudulenter agunt. V. Cic. de partit. 36. Ulpian. in Pandect. 47, 15, 1. Marcian. in Pandect. 48, 16, 1. Plin. h. n. 18, 19; 49, 2. Cic. in Caecil. 18. — *a tribunis aerariis* ordinis plebeii; nam quum lege *Aurelia* iudiciaria, a L. Aurelio Cotta praetore Pompeio et Crasso Coss. lata iudicia cum omnibus ordinibus communicata essent, *Senatores, Equites* et e plebe *Tribuni aerarii* iudicabant. V. ad Cic. de Pet. Cons. p. 72. supra ep. 6. h. l. §. 6. — *in sum., quat. sent.* In sententiis enim numerandis capitum, non ordinum habebatur ratio. Omnium ordinum, inquit Manutius, sententiae numerabantur, et ex maiore parte vel absolvebatur, vel condemnabatur reus; ordinum ipsorum ratio non habebatur; poterat enim usu venire, ut a duobus ordinibus condemnatus, ex universo tamen sententiarum numero absolveretur. — *Vatinium*, quem antea accusasset, nunc accusatum a Licinio Calvo de ambitu, quod praetoria comitia corrupisset, defendit Cicero Caesaris gratia, cuius consulis acta omni modo tribunus plebis adiuverat. V. Cic. ad div. 1, 9, 4. Plut. Pomp. 52. Abeken l. c. p. 167 sq. supra ad 2, 4, 1. Quinctil. 6, 1, 13. — *ea res fac. est;* quia Caesar et Pompeius ei admodum studerent. — *Comitia* consularia; — *reiecta*, quae tamen facta non sunt consulesque non habitis comitiis magistratu abierunt. V. infra ep. 3, 8, 4: *Ad interregnum comitia adducta.* — M. Aemilii *Scauri*, in petitione consulatus accusati a P. Valerio Triario repetundarum ex Sardinia, quam pro praetore anno superiore administraverat. V. ad Att. 4, 16, 7: *Scaurus, qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego partem eius ornatissime defendissem . . . populo tributim domi suae satisfecerat;* coll. infra l. 3. ep. 1. §. 16. ad Att. 4, 15, 9. — *exercebitur* apud M. Catonem prae-

deerimus. Συνδείπνους Σοφοκλέους, quamquam a te actam fabellam video esse festive, nullo modo probavi. Venio nunc ad id, quod nescio an primum esse debuerit. O iucundas mihi tuas de Britannia literas! Timebam Oceanum, timebam litus insulae. Reliqua non equidem contemno, sed plus habent tamen spei, quam timoris, magisque sum sollicitus exspectatione ea, quam metu. Te vero ὑπόθεσιν scribendi egregiam habere video. Quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipsum imperatorem habes! Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adiuvabo, et tibi versus, quos rogas, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας mittam. Sed heus tu, celari videor a te. Quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me

(margin: 4. at "Venio nunc ad id"; 5. at "Sed heus tu")

torem, qui de repetundis quaesivit. — *eram defensurus* dedit Schütz. praeeuntibus Lamb. et Ern. Vulg. *aderam.* — Συνδείπνους Σοφοκλέους. Alluditur ad satyricam Sophoclis fabulam huius nominis, quae non exstat. De re ipsa non convenit inter interpretes. Manutius putat intelligenda esse verba de convivio perquam simili coenae in fabula illa Sophoclea descriptae, cui interfuerit Quintus, et in quo quid sibi acciderit, narraverat fratri in epistola; qua in re Cicero neget se ceterorum convivarum sententiam probare, Quintum vero prudenter se gessisse concedat. Cf. tamen quae Ernest. Ind. Graeco-lat. s. v. de h. l. coniecit.

§. 4. *de Britannia,* de adventu vestro in B. — *Reliqua,* bellum in Britannia gerendum. — *magisque sum soll. exsp. ea qu. metu* i. e. sollicitudinis meae non tam metus, ut bellum vobis succedat, causa est, quam exspectatio huius ipsius successus. — ὑπόθεσιν, argumentum et materiam scribendi fortasse historiam. Cf. supra ep. 13, 4. coll. 15, 2; infra 3, 5, 4. — *versus quos rogas,* quibus ad opus Britannicum uteretur. V. infra 3, 1, 11: *Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatium, scribam.* 4, 4: *de versibus, quos tibi a me scribi vis.* 5, 4: *Quod me te versibus faciendis rogas.* — γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, noctuam Athenas (sc. portare v. mittere). Proverbium de iis, qui aliis afferunt eas res, quibus hi abundant. Athenis enim non solum magna noctuarum copia erat, sed nummi quoque noctua signari solebant. Bentivogl. ad h. l. affert locum ex Ariost. Orland. Fur. c. 140. st. 1: *Portar, come si dice, a Samo vasi, Nottole a Atene, e crocodili a Egitto.* Legitur hoc adagium etiam ad div. 6, 3. 9, 3. Sensus igitur est: Tibi versus mittam, licet tu ipse versus optime facias.

§. 5. *de nost. vers. Caesar* sc. iudicat. Cf. supra ad ep. 15 a §. 2: »scribis poëma ab eo nostrum probari.« — *primum librum.* Tres de temporibus suis libros significare videtur.

ante: et prima sic, ut neget se ne Graeca quidem meliora legisse. Reliqua ad quendam locum ῥαθυμότερα. Hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum, num aut res eum aut χαρακτὴρ non delectat? Nihil est, quod vereare. Ego enim ne pilo quidem minus te amabo. Hac de re φιλαλήθως et, ut soles, scribe fraterne.

ῥαθυμότερα, languidiora, segniora, minus accurate s. indiligentius scripta, sc. sibi videri Caesar scripsit. — *res*, argumentum. — χαρακτὴρ, stilus, orationis forma, meum scribendi genus; opponitur enim *rei*. — *nih. est q. ver.*, si verum dixeris. — *ne pilo quidem*. Cf. κάρ apud Hom. Il. 9, 378. ἐν καρὸς αἴσῃ quod Heynius explicat per θρὶξ κεκαρμένη. Doederl. Synonym. P. 3. p. 19. — *te amabo*. Ita Orell. cum vett. quibusdam editt. et Müllero in Seebode Archiv. 2, 3. p. 570. Vulgo: *me amabo*, quod, uti Orell. monet, primo aspectu potest argutius videri; sed toti loco vix convenit; praesertim quum epistola ita scripta sit, ut Caesari monstrari posset. At enim lectio *me* defendi poterit satis nota Ciceronis indole nimioque eius sui amore, neque minus in dubium vocari potest, quod Orell. de hac ipsa epistola addidit. — Φιλαλήθως, cum studio veritatis i. e. ingenue, libere, vere.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM AD QUINTUM FRATREM
LIBER TERTIUS.

EPISTOLA I.

Scripta partim in Arpinati, partim Romae mense Septembri A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Scribit se Quinti villas obiisse, ibique in aedificatione quaedam aut correxisse aut constituisse 1—5; deinde de urbanae domus expolitione 6, et Quinti filio 7. Tum respondet compluribus Quinti epistolis; primae longiori 8—10, deinde minusculae 11, tum tertiae 12, denique quartae 13 perveteri sed sero allatae 14—16; postremo novissimae, quam ei, quum hanc epistolam iam complicaret, tabellarii reddiderant 17—22. Subiungit quaedam, alia aliis diebus scripta 23—25.

MARCUS Q. FRATRI S.

Ego ex magnis caloribus — non enim meminimus I. 1.
maiores — in Arpinati summa cum amoenitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis. In Arcano a. d. IIII. Idus Sept. fui. Ibi

I. §. 1. *am. fluminis,* Fibreni; v. de legg. 2, 1. 3. Sil. Ital. 8, 400. — *ludorum* Romanorum s. magnorum, qui a pridie Nonas ad pridie Idus Septembris in Palatio ante Matris magnae templum, et biduo intermissi per quinque dies in Circo maximo ab aedilibus cur. in honorem *magnorum deorum* (Iovis, Iunonis et Minervae) pro salute populi fiebant. V. de Orat. 1, 7. — *Philotimo,* liberto Ciceronis vel potius Terentiae. V. ad Att, 2, 4, 7; 4, 10. ad div. 3, 9. — *trib. commend.,* ut eis locum ad spectandos ludos daret. Moris enim erat, ut amicis et tribulibus, atque etiam clientibus et in circo et in foro locus ad spectandum daretur. V. pro Mur. 34. ad Att. 2, 1, 5. *Tribules* h. l. sunt Arpinates, qui tribus Corneliae erant, et ludorum spectandorum causa Romam venerunt. — *Arcano,* Quinti

**Messidium cum Philoxeno, aquamque, quam ii duce-
bant non longe a villa, belle sane fluentem vidi, prae-
sertim maxima siccitate: uberioremque aliquanto sese
collecturos esse dicebant. Apud Herum recte erat.
In Maniliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. Sed
tamen nihil ei restabat praeter balnearia et ambulatio-
nem et aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea
quod summam dignitatem pavimentata porticus habe-
bat: quod mihi nunc denique apparuit, posteaquam et
ipsa tota patet et columnae politae sunt. Totum in
eo est — quod mihi erit curae — tectorium ut concin-
num sit. Pavimenta recte fieri videbantur. Camaras
2. quasdam non probavi mutarique iussi. Quo loco in
porticu te scribere aiunt ut atriolum fiat, mihi, ut est,
magis placebat. Neque enim satis loci videbatur esse
atriolo: neque fere solet nisi in iis aedificiis fieri, in**

praedio. V. infra ep. 3, 1; 9, 7. — *Messid. cum Philox.*, redemtores aquae deducendae. — *Herum,* villicum in Arcano, ut infra §. 5. Nicephorum in Laterio. — *Maniliano.* Ita codd. edittque apud Bentivogl. et Orell. Vulgo *Manliano.* Erat fundus, non longe ab Arcano dissitus neque ab hoc seiunctus, in quo Diphilus architectus villam Quinto aedificabat. Cf. infra ep. 3, 1; 9, 7. — *Diphilo* i. e. se ipso s. solito, se ipsum tarditate superantem, quum iam natura segnis esset. — *restabat* sc. exstruendum. — *ambulationem,* hypaethriam, locum deambulando destinatum; v. Vitruv. 5, 9. Plin. h. n. 36, 12, 18. — *aviarium* sc. stabulum, locum in villa, ubi aves alerentur ad oblectationem victumve; v. Colum. 8, 1. Varr. R. R. 1, 38, 2; 3, 3, 6 et 4, 3. — *dignitatem,* splendorem, magnificentiam, quae a *pulchritudine* ita differt, ut dignitas admirationem, haec voluptatem excitet. Cf. Bremi ad C. Nep. Themist. 6. coll. Cic. de inv. 2, 1. Off. 1, 36. — *pavimentata,* strata pavimento, quod aut ex marmore, aut ex opere vermiculato s. tesselato erat. V. Mitscherl. ad Horat. od. 2, 14, 27. Cic. pro dom. 44. — *tota patet,* instrumentis fabrilibus remotis. — *columnae* circa porticum. — *Totum in eo est* i. e. omnia inde pendent. Cf. ad Att. 5, 20, 7. — *tectorium,* incrustatio ex calce et arena. V. Vitruv. 7, 3; 5, 10. — *concinnum* i. e. bene mistum et apte compositum, elegans. Manutius sive coniectura sive cum codd. legit: *continuum,* quod explicat, »ne incrustatio rimas agat, ne vitium faciat.« — *Camaras,* tecta concavis fornicibus suspensa, arcuata. V. Vitruv. 5, 10. De diversitate scripturae h. v. Bentivogl. ad h. l. adnotat: »*Camara* scribendum affirmant Charisius, p. 43, ex Verrio Flacco, et Burmann. ad Petronium c. 30, nimirum, ut Graeci καμάρα; *camera* tamen habent Lucretius, Vitruvius 7, 3, et Plinius N. H. pluribus in locis.«

§. 2. *Quo loco in porticu* = locus in porticu, quo cet. —

quibus est atrium maius: nec habere poterat adiuncta cubicula et eiusmodi membra. Nunc haec vel honestate testudinis valde boni aestivi locum obtinebit. Tu tamen si aliter sentis, rescribe quam primum. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium, [ex quo ignis erumpit,] esset subiectum cubiculis. Subgrande cubiculum autem et hibernum altum valde probavi, quod et ampla erant et loco posita, ambulationis uno latere, eo, quod est proximum balneariis. Columnas neque rectas neque e regione Diphilus collocarat. Eas scilicet demolietur. Aliquando perpendiculo et linea discet uti. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. Curat enim diligentissime Caesius, qui tum mecum fuit.

eiusmodi membra, partes atriolo, quasi membra corpori, adiectae. — *Nunc haec ... obtinebit.* Ita hunc locum coniectura correxit Schütz. Sensus: *Haec* (porticus) (ut) *nunc* (est) *vel* ipsa *honestate* (ampla specie et altitudine) *testudinis obtinebit locum* (habebit commodum) *valde boni aestivi* (cubiculi) s. id habebit commodi, quod in aestate testudines, hieme aestiva loca. *Testudo* est locus concameratus, camera fornicata. V. Cic. Brut. 22. Varro L. L. 4, 33. Ad v. *aestivi* Schütz. affert ex Plin. ep. 2, 17. cubiculum altitudine aestivum. Vulgo corrupte legitur: *Nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni aestivum locum obtinebit.* Manutius emendavit: *Nunc hoc vel in aestate testudinis, vel hieme aestivum locum obtinebit.* Sed v. *honestate* non esse mutandam eaque Ciceronem infra uti §. 14. *id non honeste vergit in tectum,* recte monet Bentivogl. — *assa* h. e. sudatoria, locus in balneis, ubi asso i. e. solo calore sudor provocabatur, non adhibita aqua, ubi sudabatur tantum, sine lotione. V. Senec. ep. 51. Eadem esse putat Schneider. ad Vitruv. 5, 10, quae Vitruvio *caldaria* dicuntur. Cf. etiam Ern. ind. lat. s. v. — *apodyterii,* ubi lavaturi vestes deponebant in balneis, ab ἀποδύειν. — *vaporarium* idem quod *hypocaustum* s. fornax, in qua ignis aquae calefaciendae succenditur. V. Vitruv. 5, 10. Cat. R. R. 38. — *[ex quo ignis erumpit].* Haec verba suspecta Ursino et Scaligero ad Catull. ep. 6, uncis inclusit Ernest., et ut glossema delevit Schütz. — *esset subiectum cubiculis,* indeque incendii causam praebere posset. — *Subgrande cubic. autem.* Ernest. legendum proposuit *Subgrande cubiculum aestivum,* quod probavit Schütz. At vulg. *subgrande* dictum esse pro *aestivum* monet Bentivogl. — *loco* sc. idoneo s. iusto. — *e regione,* ut essent parallelae, ut altera alteri ex adverso responderet. — *perpendiculo,* ut rectas, *linea,* ut e regione et aequali distantia collocet columnas. — *Caesius,* villicus aut certe procurator Quinti; fortasse idem qui supra 1, 1, 14 et 2, 4 nominatur L. Caesius.

II. 3. Ex eo loco recta Vitularia via profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nuntiis Arpini de Fufidio HS cccıↃↃↃ. emeramus. Ego locum aestate umbrosiorem vidi nunquam; permultis locis aquam profluentem, et eam uberem. Quid quaeris? Iugera L. prati Cassius irrigaturum facile te arbitrabatur. Equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus additis, palaestra et silva † viridicata. Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere. De eo quid videatur, ipse constitues. Calvus aiebat, aqua dempta et eius aquae iure constituto et servitute fundo illi imposita, tamen nos pretium servare posse, si vendere vellemus. Messidium mecum habui. Is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat: sese autem mensum pedibus aiebat passuum ıııcıↃ. Mihi plus visum

II. §. 3. *Vitularia via.* Huius in Arpinati viae alibi non fit mentio. — *proximis nuntiis* i. e. ut proxime tibi nuntiaveramus. Bentivogl. suspicatus est: *proximis nundinis;* perperam. — *Iugeri.* Iugerum fuit apud Romanos terrae spatium, quod in longitudinem porrigebatur pedibus 240, in latitudinem vero 120, ita ut 28800 pedum quadratorum esset. V. Varro R. R. 1, 10. Quinctil. 1, 10. Colum. 5, 1. Zumpt. §. 855. — *salientibus* sc. aquis. V. Vitruv, 8, 3. 7; Frontin. Aquaeduct. 11. 87. 104. — † *viridicata* v. corruptum aut certe insolens. Manut. explicat *virente,* qua ratione et *albico, nigrico* usurpari ait. Ernest. suspic. *viridicante.* Turneb. Advers. 24, 39. coniecit: *vindicata* i. e. purgata et rebus alienis et supervacaneis liberata. Schütz.: *silvis et viridibus aucta.* Orell. legendum proposuit: *silva ridicata,* cuius singulae arbores suis ridicis (cf. Cato R. R. 17; Varro R. R. 1, 8, 4; 1, 26; Colum. 4, 26 init., 33, §. 4; 11, 2, 12) fultae sunt. — *Bovillanum,* nomen ab ignobili loco in Arpinati ductum, non a Bovillis, ubi Clodius est interfectus, quae inter Ariciam et Romam sitae erant. Manut. legit *Bovilianum.* — *aq. demta* excepta in venditione fundi, ut alienato fundo aqua tamen iuris tui sit, quam ad irrigandos finitimos fundos illorum dominis locare possis. *Manut.* — *aquae iure constituto,* tibi in venditione servato, ut quoties vis, ea aqua uti possis. — *servitute* aquae ductus, de qua vide Heinecc. syntagm. antiqq. Rom. 2, 3, 12. Ern. clav. s. v. — *nos pretium servare posse* i. e. idem habere nos posse pretium, quo fundus nobis stetit. — *Messidium.* v. §. 1. — *ternis nummis in pedem* h. e. ut ternos nummos s. sestertios in singulos pedes alvei ad deducendam aquam faciendi a te acciperet. — *IIICIↃ,* tria millia. Ita Orell. cum codd. Vulg. ıvcıↃ. Manut., cui numerus cccccıↃ (400000) nimius videbatur, emendavit cıↃↃccc (1400). —

est. Sed praestabo sumptum nusquam melius posse poni. Chilonem arcessieram Venafro. Sed eo ipso die quattuor eius conservos et discipulos Venafri cuniculus oppresserat. Idibus Sept. in Laterio fui. Viam 4.
perspexi, quae mihi ita placuit, ut opus publicum videretur esse, praeter CL passus. Sum enim ipse mensus ab eo ponticulo, qui est ad Furinae, Satricum versus. Eo loco pulvis, non glarea iniecta est: et mutabitur, et ea viae pars valde acclivis est. Sed intellexi aliter duci non potuisse, praesertim quum tu neque per Locustae neque per Varronis velles ducere. Veluinus ante suum fundum prope munierat. Locusta non attigerat: quem ego Romae aggrediar et, ut arbitror, commovebo, et simul M. Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romae erat, de aqua per fundum eius ducenda rogabo. Nicephorum, villicum 5.
tuum, sane probavi: quaesivique ex eo, ecquid ei de illa aedificatiuncula Laterii, de qua mecum locutus es,

praestabo. v. ad §. 10. ep. 1. lib. 1. — *Chilonem* architectum, olim servum, nunc libertum. — *Venafro,* opulento Campaniae oppido. Hor. od. 2, 6, 15. Cic. ad Att. 7, 13. Cat. R. R. 135. — *discipulos,* quos fabricandi et architectandi artem Chilo docebat. — *cuniculus,* ductus sub terra effossus.

§. 4. *Laterio,* altero Quinti fundo in Arpinati. V. supra l. 2. ep. 7. — *Viam,* quam sternendam curasti. — *ad Furinae* sc. templum. *Furina* ignota dea, quam cum *Furia* eandem esse suspicatur ipse Cicero N. D. 3, 18. Cf. Varro L. L. 5, 3. Ern. cl. Cic. s. v. Dies festus eius deae *Furinalia* IIX Kal. Sextil. Varro L. L. 5, 3. 4, 15. 6, 3. — *Satricum,* oppidum in Latio ad Appiam viam. Plin. h. n. 3, 5, 9. Liv. 2, 39. 6, 8. 33. Flor. 1, 11. — *et mutabitur,* iniicietur glarea sublato pulvere. Pro *et mut.* Orell. malit: *id mut.* — *Locustae, Varronis* sc. fundum. — *Velvinus,* possessor fundi fundo Q. Ciceronis vicini, quem eundem cum Varrone esse vult Manut. Schütz etiam aut hoc nomen corruptum esse et *Varro* reponendum, aut antea pro *Varronis* scribendum *Velvini* putat. At enim nulla emendatione opus esse videtur, quum non appareat, cur de iisdem, quos proxime nominaverat Cicero, sermo esse debeat, praesertim quum statim alium praeterea vicinum M. Taurum commemoret. — *prope.* Ern. coniecit *probe;* absque necessitate. — *munierat,* viam straverat, ita ut haec via ante fundum Velvini ad tuam usque pertineret. — *non attigerat,* nondum coeperat viam munire. — *aggrediar,* adibo, conveniam, precabor.

§. 5. *de illa aedificatiuncula,* de parvo illo opere struendo seu

mandavisses. Tum is mihi respondit se ipsum eius operis HS xvi. conductorem fuisse: sed te postea multa addidisse ad opus, nihil ad pretium: itaque id se omisisse. Mihi mehercule valde placet, te illa, ut constituebas, addere: quamquam ea villa, quae nunc est, tamquam philosopha videtur esse, quae obiurget ceterarum villarum insaniam. Verumtamen illud additum delectabit. Topiarium laudavi: ita omnia convestivit hedera, qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis; ut denique illi palliati topiariam facere videantur et hederam vendere. Iam ἀποδυτηρίῳ nihil alsius,
6. **nihil muscosius. Habes fere de rebus rusticis. Urbanam expolitionem urget illam quidem et Philotimus et Cincius, sed etiam ipse crebro interviso, quod est facile factu. Quamobrem ea te cura liberatum volo.**

villae in Laterio addendo. — *multa addidisse ad opus*, plus quam convenerat postulasse ut adiungeretur. — *ut constituebas.* Schütz. coniecturam Ernest. *constitueras* recepit. At vulgata recte habere videtur, quum consilium addendi aedificatiunculam nondum abiecisset Quintus. — *quae nunc est* i. e. qualis nunc est. — *philosopha*, frugalis et parca. — *quae obiurget* i. e. quum ea obiurget, vituperare videatur. — *insaniam*, nimiam magnificentiam, nimium *sumtum*, splendorem. Ita apud Plin. h. n. 18, 1, 5: *insania vestium*; 13, 15, 29 *mensarum* legitur. — *topiarium* sc. opus. Alii de artifice, qui topiariam faceret, masculino genere h. l. dictum putant. V. Ernest. cl. Cic. s. v. *Topiaria* erat ars non modo herbis, hedera aliisque areolas hortorum vestiendi et ornandi, sed etiam ex fruticibus et virgultis, ut buxo, myrto, acantho aliisque flectendo, tondendo, varia horti ornamenta ad speciem aulaei aut columnae aut fontis alteriusve rei conficiendi. V. Plin. h. n. 15, 30. 18, 28. 21, 11. 22, 22. — *convestivit.* Vulgo *convestit.* — *qua ... qua.* V. Zumpt. §. 339. — *basim*, inferiorem partem. — *intercolumnia*, spatium inter columnas. — *palliati*, marmoreae hominum statuae, pallio indutae i. e. graeco habitu inter columnas positae. — *hederam*, qua intercolumnia vestiuntur. — ἀποδυτηρίῳ. V. supra ad §. 2. — *alsius*, comp. ab *alsum* (et hoc ab *algeo*), subfrigidum. Cf. Doederl. l. c. P. 3. p. 91. — *muscosius.* Manut. ad h. l. dicit: non quia muscum habeat, sed quod aeque ac muscus in humidis locis oblectet.

§. 6. *Urbanam expolitionem* i. e. perfectionem aedium urbanarum. Cf. infra ep. 3, 1: *Expolitiones utriusque nostrum sunt in manibus.* De re v. supra l. 2. ep. 3, 7; ep. 4, 2; ep. 6, 2. — *illam quidem* reposuit Schütz. pro vulg. *ille quidem.* — *Philotimus*, Terentiae libertus; v. supra ad §. 1. — L. *Cincius*, procurator Attici, cuius soror Pomponia Quinto nupserat. V. ad Att. 1. 1, 1; 7; 8; 16 §. 17; 20 §. 1; supra lib. 2. ep. 2. §. 1. — *facile factu*, quia do-

De Cicerone quod me semper rogas, ignosco equidem tibi, sed tu quoque mihi velim ignoscas. Non enim concedo tibi, plus ut illum ames, quam ipse amo. Atque utinam his diebus in Arpinati, quod et ipse cupierat et ego non minus, mecum fuisset! Quod ad Pomponiam; si tibi videtur, scribas velim; quum aliquo exibimus, eat nobiscum puerumque ducat. Clamores efficiam, si eum mecum habuero otiosus. Nam Romae respirandi non est locus. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum. Quid nunc putas, tanta mihi abs te mercede proposita? Venio nunc ad tuas literas; quas pluribus epistolis accepi, dum sum in Arpinati. Nam mihi uno die tres sunt redditae, et quidem, ut videbantur, eodem abs te datae tempore: una pluribus verbis, in qua primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset adscripta literis, quam in Caesaris. Id facit Oppius nonnunquam necessario, ut, quum tabellarios

(margin: III. 7. — beside "De Cicerone"; 8. — beside "te mercede proposita? Venio nunc ad tuas literas;")

mus utriusque contingebant eodemque tempore aedificabantur. V. supra ad l. 2. ep. 4. §. 2. coll. ep. 2. §. 2. — *liberatum volo*. V. Zumpt. §. 610.

III. §. 7. *Cicerone*, Quinti filio. — *concedo ... ut ... ames*. V. Zumpt. §. 615. — *Arpinati*. Lamb. *Arpinate*. Utrumque rectum esse vidit Malaspina ex locis *Aletrinate* pro Cluent. 16, *Fulginate* pro Vareno in fragm. et Prisc. VII. Cf. Zumpt. §. 64. — *mecum fuisset*. Pomponia Quintum filium Marcum rus comitari noluisse videtur. V. infra ep. 3, 4. — *Quod ad Pomp.*, Quinti uxorem, sc. attinet. — *Clamores efficiam*, admirationem excitabo, mirabiles plausus feram, quum, quantum ex institutione mea profecerit, intelligatur. Eandem locutionem habes de Orat. 1, 33. post med. Brut. 95 med. — *habuero otiosus*. Ita necessario scribendum erat, et iam ante Schützium, qui sic edidit, correxerat Lamb. Vulg. *otiosum*, quam tamen tuetur Manut. At vv. quae sequuntur: *Nam Romae* cet. de ipso Marco Romae occupatissimo intelligenda esse, iisque opponi *otiosus*, apparet. — *respirandi non est locus*, nedum instituendi docendique. — *Quid nunc putas* me facturum esse. — *mercede proposita*. V. infra ep. 3 extr. Quaenam haec merces fuit? Amorem intelligit Manut., qui Quintum his fortasse verbis scripsisse ait: »Si Ciceronem meum erudieris, ego te plus amabo.«

§. 8. *literas: quas pluribus epistolis accepi* i. e. ad ea, quae pluribus chartis s. fasciculis scripsisti. *Literae*, γράμματα, latiori sensu, omnia scripta significant (v. intpp. ad ep. ad Att. 1, 14, 3); hic animi sensa, pluribus chartis commissa — *pluribus verbis* sc. scripta, verbosa, prolixa. — *in tuis*, ad te scriptis a me. — *in Caesaris*, ad Caesarem scriptis ab Oppio. — *Oppius*, Caesaris fami-

constituerit mittere literasque a nobis acceperit, aliqua re nova impediatur et necessario serius, quam constituerat, mittat: neque nos datis iam epistolis diem com-
9. mutari curemus. Scribis de Caesaris summo in nos amore. Hunc et tu fovebis et nos quibuscunque poterimus rebus augebimus. De Pompeio, et facio diligenter et faciam quod mones. Quod tibi mea permissio mansionis tuae grata est, id ego, summo meo dolore et desiderio, tamen ex parte gaudeo. In Hippodamis et nonnullis aliis arcessendis quid cogites, non intelligo. Nemo istorum est, quin abs te munus, fundi suburbani instar, exspectet. Trebatium vero meum quod isto admisceas, nihil est. Ego illum ad Caesarem misi; qui mihi iam satisfecit. Si ipsi minus, praestare nihil debeo: teque item ab eo vindico et libero. Quod scribis te a Caesare quotidie plus diligi, immor-

liarissimus eiusque in urbe procurator. V. ad Att. 5, 1; ad div. 2, 16, 7. Idem scripsit librum 8 de bello Gallico. — *curemus.* Orell. legendum suspicatur *curamus.*

§. 9. *Hunc,* Caesaris amorem; v. supra l. 2. ep. 15, 1. — *fovebis,* diligenter conservabis. — *De Pompeio* fovendo, colendo, observando. Erat hoc tempore summa inter Caesarem et Pompeium necessitudo, postea demum, Iulia mortua (cf. infra hac ep. §. 17.) dissoluta. — *mansionis tuae* in Britannia apud Caesarem. — *Hippodamis.* Orell. ad h l.: Sic dictum accipio, inquit, ut est infra ep. 9: *multorum Philotimorum est, non Diphilorum.* Est igitur: »in eiusmodi hominibus, qualis est Hippodamus.« Ernesti dedit: *hippodamis,* quasi »equorum domitoribus«. Schütz. *Hippodamo.* Cf. infra §. 21. Fortasse Quintus erat questus, Marcum sibi multos homines, praesertim equites Romanos iuvenes, commendare, qui per Caesarem ad honores opesque pervenire vellent; aut Marcus potius fratrem monet, hoc ipsum ut caveat. — *exspectet,* si ad te venerit. — *isto* pro *istuc* i. e. istis Hippodamis et ceteris. — *ad Caesarem misi.* V. ad div. 7, 5, §. 2 sq. — *qui mihi iam satisf.* Trebatium humanissime accipiendo. V. ep. ad div. 7, 8. Ernest., Schütz., Lünem. contra codd. edittque auctoritatem: *quia mihi iam satisf.,* ita ut h. vv. ad Trebatium referantur, ideo a Cicerone Caesari commendatum, quia ipsi probatus fuerit. Minus commode. — *Si* Caesar *ipsi* Trebatio *minus* satisfecerit, fortasse quod ei non satis familiaris fuerit, aut quod nondum eum evexerit. V. ad div. l. c. Alii: *Si ipsi* Caesari *minus* satisfecit. Trebatius; minus apte. — *praestare* (v. supra l. 1. ep. 1. §. 10.) *nihil debeo,* quum fecerim quod amici erat. — *ab eo vindico et lib.,* a cura Trebatium fovendi te libero, te eum sustinere nolo. —

taliter gaudeo. Balbum vero, qui est istius rei, quemadmodum scribis, adiutor, in oculis fero. Trebonium meum a te amari teque ab illo pergaudeo. De tribu- 10.
natu quod scribis, ego vero nominatim petivi Curtio, et mihi ipse Caesar nominatim Curtio paratum esse rescripsit meamque in rogando verecundiam obiurgavit. Si cui praeterea petiero, — id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet — facile patiar mihi negari, quoniam illi, qui mihi molesti sunt, sibi negari a me non facile patiuntur. Ego Curtium — id quod ipsi dixi — non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quod literis tuis studium illius in salutem nostram facile perspexi. De Britannicis rebus, cognovi ex tuis literis, nihil esse, nec quod metuamus nec quod gaudeamus. De publicis negotiis, quae vis ad te Tironem scribere, negligentius ad te ante scribebam, quod omnia, minima maxima, ad Caesarem mitti sciebam.

Rescripsi epistolae maximae. Audi nunc de minus- IV. 11.
cula: in qua primum est de Clodii ad Caesarem literis:

L. Cornelium *Balbum*, Caesaris amicissimum, Gaditanum, a Cn. Pompeio civitate donatum, pro quo est Ciceronis oratio. V. ad div. 7, 7. Ern. cl. Cic. — *in oculis fero*, carissimum habeo. Cic. Philipp. 6, 4. Harusp. 28. ad divers. 16, 27. Terent. Eun. 3, 1, 11. Similiter dicitur *in oculis esse alicuius, alicui* Tusc. 2, 26. ad Att. 6, 2. — C. *Trebonium*, tum temporis legatum Caesaris in Gallia. Proximo anno tribunus pl. legem Triboniam tulerat, qua Caesar Galliam in alterum quinquennium obtineret; praetor fuit a. u. 706 Caesare II. Cons., consul suffectus a. u. 709. Caesarem secutus bello civili, postea inter percussores eius fuit, et Smyrnae a Dolabella interfectus est. V. Ern. cl. Cic.

§. 10. *tribunatu* militum, quem, ubi Bentiv. monet, Trebonio fortasse petere volèbat Quintus a Caesare. — M. *Curtio* Postumo v. supra ad libr. 2. ep. 15, 3. — *mihi negari* a Caesare, quod eis peto. — *qui mihi molesti sunt* petendo ut eos Caesari commendem, quo ab eo aliquid impetrent. Sic emendavit post Lamb. et Ernest. Schütz. vulg.: *qui sibi molesti sunt*. — *in salutem nostram*, ut restituerer in patriam. — *nec ... gaudeamus* ob exiguam praedam. V. ad Att. 4, 16, 13: *Etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insula neque ullam spem praedae nisi ex mancipiis.* Ad div. 7, 7: *In Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti.* — *Tironem*, notissimum Ciceronis libertum. — *minima maxima*. V. Zumpt. §. 782.

in quo Caesaris consilium probo, quod tibi amantissime petenti veniam non dedit, uti ullum ad illam Furiam verbum rescriberet. Alterum est de Calventii Marii oratione: Quod scribis, miror, tibi placere me ad eam rescribere, praesertim quum illam nemo lecturus sit; meam in illum pueri omnes tamquam dictata perdiscant. Libros meos, quos exspectas, inchoavi: sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi. Poëma ad Caesarem, quod institueram, incidi. Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatii, scribam.

12. Venio ad tertiam. Balbum quod ais mature Romam bene comitatum esse venturum mecumque assidue usque

IV. §. 11. *veniam non dedit* i. e. non concessit, non satisfecit. V. ad Att. 5, 21, 12. Terent. Ad. 5, 8, 14. Liv. 30, 12. Bremi ad Nep. Dion. 2. Quintus noluit Caesarem fratris suaque causa facere, ut respondendi officium omitteret. Caesar vero indignatus (uti Bentiv. monet) quod Clodius, quas a se literas accepisset, in concione, ad ostentationem amoris erga ipsum Caesaris recitasset (pro domo 9) statuerat, se nullas unquam literas illi furiae missurum. Cf. Abeken l. c. p. 173 — *rescriberet*. Cod. Q. apud Orell. exhibet: *rescriberes*. — *Calventii Marii*. Lucium Pisonem Caesoninum intelligit, qui ab avo materno *Calventius* est appellatus; *Marium* autem ficto nomine eum appellat, respiciens ad comparationem eius cum C. Mario (in Pison. 9), Caesarisque causa, qui gener Pisonis erat. Nihil igitur opus cum Lamb. corrigere *Calveni Matii*, quum manifesto de Pisone, non de Matio sermo sit. — *oratione*, quam ex Macedonia provincia reversus in Ciceronem scripsit (sed non habuit), quo auctore senatus eum de provincia revocaverat. — *me ad eam rescrib.* Sic praeeuntibus Faern. aliisque ex codd. edidit Orell. pro vulg. *me ad eum rescrib.* — *nemo lecturus sit*. Cf. Martial. ep. 5, 60. — *meam in illum*. Schütz. intelligit orationem in Pisonem, quam proximo anno habuit, Manut. orat. de provinciis consularibus h. e. de Pisone Gabinioque revocandis. — *dictata* a magistris in ludis literariis. V. Horat. ep. 2, 1, 71; Cic. Tusc. 2, 11. Nat. Deor. 1, 26. finn. 4, 4. — *Libros meos* de republ. V. supra l. 2. ep. 14, 1. — *pro Scauro*, repetundarum accusato. V. supra ad l. 2. ep. 16, 3. *pro Plancio*, ambitus reo, quarum orationum haec integra, illius fragmenta exstant. V. Abeken l. c. p. 164. 172. — *Poëma ad Caesarem*. V. infra ep. 8, 3; 9, 6. Abeken l. c. p. 173. — *instituerам*. Ita Orell. ex codd. pro vulg. *composueram*. Illud melius sequenti *incidi* convenit. — *incidi*, discidi, delevi, quod mihi non probaretur. — *Tibi quod rogas*. V. ad l. 2. ep. 16, 4. — *fontes iam sitiunt* i. e. tu, qui ipse poëta es, versus tibi a me componi vis. Cf. l. c.

§. 12. *bene comitatum* i. e. bene nummatum, cum multis pecu-

ad Id. Maias futurum, id mihi pergratum perque iucundum est. Quod me in eadem epistola, sicut saepe antea, cohortaris ad ambitionem et ad laborem, faciam equidem: sed quando vivemus? Quarta epistola mihi 13.
reddita est Id. Sept., quam a. d. IIII. Id. Sext. ex Britannia dederas. In ea nihil sane erat novi praeter Erigonam: quam si ab Oppio accepero, scribam ad te, quid sentiam. Nec dubito, quin mihi placitura sit. Et, quod praeterii, de eo, quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Caesarem: ego vero facile patior, ita Caesarem existimare illum quam maximum fuisse plausum. Et prorsus ita fuit: et tamen ille plausus, qui illi datur, quodam modo nobis videtur dari. Reddita etiam 14.
mihi est pervetus epistola, sed sero allata, in qua de aede Telluris et de porticu Catuli me admones. Fit utrumque diligenter. Ad Telluris quidem etiam tuam statuam locavi. Item de hortis quod me admones: nec

niis, ut Manut. explicat. — *iucundum est.* Vulg.: *iucundum erit.* — *cohortaris.* Supra l. 2. ep. 16, 1: *quoniam tu ita praescribis.* — *ad ambitionem,* ad ineundam gratiam populi augendamque dignitatem. — *laborem* forensem. — *vivemus,* vita tranquilla et studiis dedita fruemur. Cf. Abeken l. c. p. 174.

§. 13. *Erigonam,* tragoediam a Quinto scriptam et Oppio missam, in itinere autem amissam. V. infra ep. 6 extr.; ep. 9, 6. Erigone, filia Icarii et soror Penelopes, dolore ob occisum a rusticis ebriis patrem abrepta se ipsa suspendit, et deorum miseratione in coeleste signum Virginis conversa est. V. Hygin. fab. 130. 254. Virg. Georg. 1, 33. Ovid. Metam. 10, 450 sq. — *Et quod praet.* Iungendum cum *nihil erat novi praeter Erigonam, et praeter id, quod praeterii.* — *de eo;* ignoratur qui fuerit. — *Mil. plausu,* a populo in theatro Miloni dato, cuius causa perpetua eius in Clodium oppositio aut magnifici ludi ab eo aedili editi fuisse videntur. V. ad Att 4, 15, 6, aut quia, quae Manutii est sententia, consulem Lentulum Spintherem, legem comitiis centuriatis de reditu Ciceronis ferentem, enixe admodum iuverat. — *ita C exist.* De hoc usu v. *ita* pleonastico v. Zumpt. §. 748. — *nobis,* quippe Milone bene de nobis merito et ob id ipsum populo grato. Postremis igitur huius periodi verbis Cicero fortasse significare voluit, verendum non esse, ne honor huius plausus Caesaris invidiam contra Milonem excitet atque huic apud eum obsit, quum re vera sibi datus esse videatur.

§. 14. *de aede Telluris.* Respicit opera et inscriptiones, de quibus v. supra ad l. 2. ep. 9, 2. — *de porticu Catuli.* V. ad Att. 4, 2, 2; 3, 2. Abeken l. c. p. 137. — *de hortis* emendis. — *domus,* publico

fui unquam valde cupidus et nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem. Romam quum venissem a. d. XIII. Kal. Octob. absolutum offendi in aedibus tuis tectum: quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum, id nunc honeste vergit in tectum inferioris porticus. Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. De eius eruditione quod labores, nihil est, quoniam ingenium eius nosti: studium ego video. Cetera eius suscipio, ut me putem praestare debere.

V. 15. Gabinium tres adhuc factiones postulant: L. Lentulus, flaminis filius, qui iam de maiestate postulavit;

sumtu aedificata. — *sup. m. hort. amoen.*, ita ut iam hortos nihil desiderem. — *multorum fastigiorum* i. e. multis angulis et lateribus descendere. De v. *fastigium* v. Ern. cl. Cic. s. v. et Casaub. ad Suet. Caesar. 81. — *id nunc honeste* edidit Orell. cum codd. edittque pro vulg. *id non honeste; honeste* i. e. decenter, speciose; v. supra ad §. 2. — *vergit* leni clivo, quia tectum conclaviorum unum tantum habet fastigium. — *Cic. noster,* Quinti filius. V. ad l. 2. ep. 14, 2. ubi aeque ac h. l. *noster* pertinet ad amorem significandum, quasi fratris filium in sui filii loco haberet, praesertim quum tunc cum patruo Marco esset. Cf. supra §. 7. et Abeken l. c. *p. 175.* — *absum.* Antiquiores editiones et codd. habent *adsum; illud* praeferendum, tum quia supra Cicero dicitur Romam ivisse, tum quia magis convenit seqq. *apud rhetorem.* — *rhetorem* Paeonium. V. infra ep. 3, 4: »Cicero tuus nosterque summo studio est *Paeonii* sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni.« Grammaticam pueros Cicerones docuerat Tyrannio. V. supra 2, 4, 2. De institutione puerorum Romanorum primo apud grammaticum, deinde apud rhetorem v. Quinctil. inst. or. l. 1. — *ingenium,* quo ita celer erat, ut frenis etiam egeret, quemadmodum dicit ad Att. 6, 1, 12. — *cetera,* institutionem et eruditionem. — *praestare,* praedem esse. V. supra ad l. 1. ep. 1, 10. et hac ep. §. 9.

V. §. 15. *Gabinium,* e Syria redeuntem. V. supra ad l. 2. ep. 8, 1. — *tres,* L. Lentulus de maiestate, T. Nero et C. Memmius de repetundis. — *adhuc;* accessit postea quarta factio C. et L. Antonii item de repetundis; v. ep. seq. §. 1; et quinta de ambitu P. Sullae; v. infra ep. 3, 3. ad Att. 4, 16, 11. Abeken l. c. p. 169 sq. — *postulant* = postulaturi videbantur; unus enim L. Lentulus postulaverat, id quod proxima verba indicant. — Absolutus est Gabinius de maiestate, damnatus de repetundis; v. infra ep. 8, 1. ad Att. 4, 16, 9. Abeken l. c. — *L. Lentulus,* L. Lentuli Flaminio Martialis (ad Att. 4, 6) filius, quem, absoluto Gabinio, praevaricatum dicebant. V. ad Att. 4, 16, 9. — *de maiestate,* apud C. Alfium (infra §. 24) praetorem, quod pecunia corruptus regem Ptolemaeum cum exercitu in Aegyptum suo arbitrio reduxisset. V. ad

Ti. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius tribunus pl. cum L. Capitone. Ad urbem accessit a. d. XII. Kal. Octobr. Nihil turpius nec desertius. Sed his iudiciis nihil audeo confidere. Quod Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus. Pompeius a me valde contendit de reditu in gratiam: sed adhuc nihil profecit nec, si ullam partem libertatis tenebo, proficiet. Tuas literas vehementer exspecto. Quod scribis te audisse in candidatorum con- 16.
sularium coitione me interfuisse, id falsum est. Eiusmodi enim pactiones in ea coitione factae sunt, quas postea Memmius patefecit, ut nemo bonus interesse debuerit: et simul mihi committendum non fuit, ut iis coitionibus interessem, quibus Messala excluderetur; cui quidem vehementer satisfacio rebus omnibus: ut

Att. 4, 10. — *Tib.* Claud. *Nero,* qui Tulliam, Ciceronis filiam, uxorem ducere voluit (ad Att. 6, 6, 1), postea vero Liviam, Augusti imperatoris coniugem, duxit, ex qua Tiberium genuit. — *bonis,* satis multis. — *subscriptoribus.* Ascon. in div. in Verr.: »subscriptores dicuntur, qui adiuvare accusatorem causidici solent: quos oportet summissius agere, quam dicat ille, quem sequuntur.« — *C. Memmius.* V. ep. seq. Privignus erat P. Sullae. V. pro Sull. 19. pro Rab. Post. 3. Val. Max. 8, 1. non confundendus cum illo, qui hoc anno consulatum petiit (ad Att. 4, 15, 7; 16, 8; 18, 2.). — *Capitone,* subscriptore, gentis Ateiae, plebeio. — *accessit* Gabinius. — *Nihil turpius.* V. infra §. 24. »noctu in urbem introivit« et ep. seq. init.; coll. in Pison. 22 sq. — *desertius,* nemine ei obviam facto. — *iud.,* quae Gabinio impendent, *nihil aud. conf.* Infra ep. seq. 2 dicit: »iudices nullos habemus«. — M. *Cato* Uticensis, qui praetor hoc anno de repetundis quaesivit. — *non valebat,* aegrotabat. — *Pompeius,* cuius mira contentione Gabinius de maiestate absolutus est. V. infra ep. 4, 1. ad Att. 4, 16, 9. — *de reditu in gratiam* cum Gabinio. V. infra ep. 4, 3; 9, 1. Cicero valde in eum invectus est. V. ep. sq. §. 2. de Prov. consul. 4 sqq. Pis. 17. Rab. Post. 8. — *nec . . . proficiet.* Coll. infra l. 3. ep. 9 init. Immo profecit, ut Cicero Gabinium, quem paulo ante accusaverat, rogatu Pompeii mox de repetundis defenderet. V. Dio Cass. 39, 63; Cic. pro Rab. Post. 12. Abeken l. c. p. 170.

§. 16. *coitione. Coitio* est, cum homines congregantur rei malae perficiendae, tanquam tribuum corrumpendarum causa. Cf. supra ad 2, 3, 4. De hacce ep. 15b. l. 2. §. 4. ad Att. 4, 15, 7. — *patefecit.* V. ad Att. 4, 18, 2; 16, 6. — M. Valerius *Messala,* candidatus consularis patricius, quem Cicero maxime diligebat. V. infra ep. 8, 3; 9, 3. ad Att. 4, 16, 6. — *excluderetur,* quum turpi pactione coire nollet. — *satisfacio,* obsequor petenti. —

arbitror, etiam Memmio. Domitio ipsi multa iam feci, quae voluit quaeque a me petivit. Scaurum beneficio defensionis valde obligavi. Adhuc erat valde incertum, et quando comitia et qui consules futuri essent.
17. Quum hanc iam epistolam complicarem, tabellarii a vobis venerunt a. d. XI. Kal. Oct. vicesimo die. O me sollicitum! quantum ego dolui in Caesaris suavissimis literis! Sed quo erant suaviores, eo maiorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas venio literas. Primum tuam remansionem etiam atque etiam probo, praesertim quum, ut scribis, cum Caesare communicaris. Oppium miror quidquam cum Publio: mihi enim

Memmio, candidato consulari plebeio; ita nihil obstabat, quin huic et Messalae Cicero satisfaceret, quum uterque simul consul creari posset. — Cn. *Domitio* Calvino, qui et ipse consularis candidatus erat et cum M. Valerio Messala consul factus est. — M. Aemilium *Scaurum*, repetundarum reum defendit Cicero apud M. Catonem praetorem. Absolutus est. V. supra ad l. 2. ep. 15b. §. 4. et ad ep. 16, §. 3. Coll. Abeken l. c. p. 164. — *comitia*, quae hoc anno habita non sunt; Messala et Domitius consulatum ex interregno inierunt.

§. 17. *complicarem*. Notat Bentivogl. ad h. l. errare eos, *qui* affirmant, veterum epistolas fuisse in teretem formam *convolutas*; obstare vim verbi *complicare*, quo hic et in ep. ad Att. 12, 1, 2 utitur, repertamque in antiquo sepulchro membranam, quae a quatuor cornibus usque ad umbilicum semel atque iterum complicata erat instar libri quadrati. At enim hoc non semper obtinuisse saepeque epistolas esse in orbem involutas, vel ex huius ep. verbis §. sq. *interiore epistola* probari potest. — *a. d. XI. Kal. Oct.* (22. Septembr.) Ita corrigendum esse vidit Manut. correxitque Schütz. vulg. *a. d. XI. Kal. Sept.* (22. August.); nam §. 14. dixit se Romam venisse *a. d. XIII. Kal. Oct.* (19. Sept.) et §. 15. meminit *a. d. XII. Kal. Oct.* (20 Sept.). — *vicesimo die* post abitum a Quinto, cuius epistola igitur data erat d. 2. m. Sept. — *ille casus*. Naufragium multarum navium intelligit Manut. Cf. Caes. B. G. 4, 29; rectius recentiores intpp. mortem Iuliae filiae, coniugis Pompeii. V. enim *luctus*, quae extrema epistola de Caesare legitur, ubi ipse Manutius dicit: »ob interitum filiae, qui proprie *luctus* est«, de iactura navium, praesertim in Caesare, non facile dici potest, contra de suae ipsius filiae obitu Cicero scripsit ad Sulpicium (ad div. 4, 6, 1): »Vellem in gravissimo *casu* affuisses«. Cf. infra ep. 8, 3. et Abeken l. c. p. 177. — *remansionem*, consilium apud Caesarem remanendi. — *Opp. miror quidq. cum Publio* sc. negotii habuisse. Res prorsus ignota; cf. tamen supra §. 11. *Publio* edidit Orell. cum codd. edittq. vett., ut intelligatur Clodius, pro vulg. *Publilio*, quod interpp. tuentur ep. ad Att. 12, 7, 1. Sed in re prorsus incerta praestare sequi Codd. iure monet Orell.

non placuerat. Quod interiore epistola scribis me Idib. 18.
Sept. Pompeio legatum iri: id ego non audivi scripsique ad Caesarem, Vibullium Caesaris mandata de mea mansione ad Pompeium pertulisse, nec ad Oppium. Quo consilio? Quamquam Oppium ego tenue, quod priores partes Vibullii erant. Cum eo enim coram Caesar egerat, ad Oppium scripserat. Ego vero nullas *δευτέρας φροντίδας* habere possum in Caesaris rebus. Ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit paene par. Videor id iudicio facere. Iam enim debeo: sed tamen amore sum incensus.

§. 18. *interiore epistola* i. e. extrema epistola. Nam quum epitolae in orbem involverentur, ultima s. extrema earum pars interius volvebatur. — *Pomp. leg. iri* in Hispanias, quo Pompeium proconsule putabant iturum, qui tamen non ivit, sed eas per tres legatos Afranium, Petreium, Varronem administravit. Cf. Abeken l. c. p. 174. — *non audivi.* Manutius, coll. ep. ad div. 7, 5, 1. et ad Att. 4 extr., de recenti rumore, de quo se negat audisse, Ciceronem loqui existimat. — *scripsique* = sed scripsi, praecedente *non.* — L. *Vibullium* Rufum, de quo v. ad l. 2. ep. 9, 2. — *de mea munsione* Romae, quam Caesar cupiebat. V. supra l. 2. ep. 15, 2. — *nec ad Oppium,* Caesaris in urbe procuratorem, ut is Caesaris mandata ad Pompeium perferret ageretque cum hoc de Ciceronis mansione. — *Quo consilio* ita a Vibullio fieri iussi? — *Quamq. Oppium ego tenui* i. e. quamquam Oppio confidere potui mihique persuasi, eum cum Pompeio acturum, tamen a Vibullio Caesaris mandata ad Pompeium perferri placuit, *quod priores partes Vibullii* (ita Schütz. ex coniect. Manut. pro vulg. *Bibuli) erant* i. e. quod Vibullius hanc rem facilius perficere poterat. Schütz. impeditum hunc locum ita legendum proposuit: *nec item Oppium. Quo consilio? inquies. Oppium ego tacui.* — *coram Caesar,* praesens praesenti. Vulg. *coram Caesare.* — δευτέρας φροντίδας i. e. mutatum consilium. Quintus ex eo, quod frater de sua mansione per Vibullium, nec vero per Oppium cum Pompeio egerat, suspicatus erat, Marcum consilium mutasse legatumque Pompeii in Hispaniam iturum; idque versu Euripideo, qui in proverbium abiit: *αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι* i. e. *posteriores cogitutiones fere sapientiores,* sibi displicere significaverat. Quod moleste ferens Marcus respondet se sua consilia neutiquam mutasse inque Caesare colendo eundem semper esse. Integer senarius est in Hippolyto Euripidis v. 436, ubi nutrix postquam Phadrae amorem graviter increpuit, re diligentius cogitata, cum ipsam intempestivae severitatis poeniteret, se consilium mutasse dicit his verbis: *νῦν δ' ἐννοοῦμαι φαῦλος οὖσα κἂν σοφοῖς. Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι,* operamque illi suam in eo amore conficiendo pollicetur. Eundem versum Athenaeus l. 13. ex Euripidis Cressis affert, et Cic. Philipp. 12, 2. interpretatur. — *par,* mihi aeque carus ac tu liberique nostri. — *iudicio,* libero animi motu, consilio. — *debeo* ob Caesaris liberalitatem.

VI. 19. Quum scripsissem haec infima, quae sunt mea ma-
nu, venit ad nos Cicero tuus ad coenam, quum Pom-
ponia foris coenaret. Dedit mihi epistolam legendam
tuam, quam paullo ante acceperat, Aristophaneo mo-
do, valde mehercule et suavem et gravem: qua sum
admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi,
qua iubes eum mihi esse affixum tamquam magistro.
Quam illum epistolae illae delectarunt! quam me! Ni-
hil puero illo suavius, nihil nostri amantius. Haec in-
ter coenam Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse.
20. Annali pergratae literae tuae fuerant, quod et curares
de se diligenter et tamen consilio severissimo iuvares.
P. Servilius pater ex literis, quas sibi a Caesare mis-
sas esse dicebat, significat valde te sibi gratum fe-
cisse, quod de sua voluntate erga Caesarem humanis-
21. sime diligentissimeque locutus esses. Quum Romam
ex Arpinati revertissem, dictum mihi est Hippodamum
ad te profectum esse. Non possum scribere me mira-
tum esse illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis
literis ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum
fuisse. Iam enim diu cogitaveram ex eo, quod tu ad
me scripseras, ut, si quid esset, quod ad te diligen-

VI. §. 19. *quum P. f. coenaret.* Causam indicat part. *quum.* V. Zumpt. §. 577. — *foris* dedit Orell. pro vulg. *foras.* Illud legitur etiam ad div. 7, 16, 2. Plaut. Men. 1, 2, 17. Martial. 2, 53, 3. Petron. 10. coll. 30, ubi idem *coenare foras* dixit. — *Aristophaneo modo,* comico Aristophanis genere scriptam, facetiis salibusque plenam. Schütz. vero ad Aristophanem Byzantinum grammaticum respexisse Ciceronem putat, et Quintum patrem censuram egisse epistolae a filio ad eum scriptae. — *affixum.* Haerebant enim magistris pueri, donec praetexta utebantur. *Manut.* — *Nihil puero illo suavius. Nihil* ut saepe pro nemo est. Cf. Cic. off. 2, 7. — *nostri amantius,* quod tamen postea minime probavit. V. ad Att. 10, 4, 5. 6; 6, 2; 7, 3, Abeken l. c. p. 207.

§. 20. *Annali,* senatori (ad div. 8, 8) Villiae gentis, plebeiae, cui hoc nomen haesit a Villio tribuno pl., qui legem de petendis magistratibus *annalem* tulit. V. Ern. ind. legg. — P. *Servilius* Isauricus, pater P. Servilii filii, de quo v. ad Att. 1, 19, 9; 2, 1, 10; 4, 16, 12; supra 2, 3, 2; infra ep. 4. §. 6; de patre v. ad div. 1, 1, 3. — *significat* per literas. — *locutus esses* cum Caesare.

§. 21. *Hippodamum.* V. supra §. 9. —

tius perferri vellem, illi darem: quod mehercule hisce
literis, quas vulgo ad te mitto, nihil fere scribo, quod
si in alicuius manus inciderit, moleste ferendum sit.
Minucio me et Salvio et Labeoni reservabam. Labeo
autem tarde proficiscetur aut hic manebit. Hippodamus
ne numquid vellem quidem rogavit. T. Pinarius ama- 22.
biles ad me de te literas mittit: se maxime literis,
sermonibus, coenis denique tuis delectari. Is homo
semper me delectavit fraterque eius mecum est multum.
Quare, ut instituisti, complectere adolescentem.

Quod multos dies epistolam in manibus habui prop- VII. 23.
ter commorationem tabellariorum, ideo multa coniecta
sunt aliud alio tempore, velut hoc. T. Anicius mihi
saepe iam dixit sese tibi, suburbanum si quod invenisset, non dubitaturum esse emere. In eius sermone ego utrumque soleo admirari: et te de suburbano emendo, quum ad illum scribas, non modo ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam scribere; et, quum ad illum scribas, nihil te recordari de se, de epistolis illis, quas in Tusculano eius tu mihi ostendisti, nihil de praeceptis Epicharmi, γνῶθι, πῶς ἄλλῳ κέχρηται; to-

Minucio. L. Minucius Basilus esse videtur, qui cum Caesare in Gallia fuit. V. Caes. B. G. 6, 29. Cic. de Off. 3, 18. — *Salvio,* qui VI. Id. Oct. ad Quintum profectus est. V. ep. seq. init. — *Labeoni;* v. supra 1, 1, 14. — *reservabam,* literas ad te dare volebam, quas in alienas manus incidere nolim. — *ne numquid vellem quidem.* Sic post Lamb. et Schütz. edidit Orell. pro vulg. *ne nunc quidem quid velim.* Monet praeterea Orell., se facile h. l. carere v. *quidem* (cf. Madvig. I, p. 98), praesertim quum absit ab edit. Cratand. et transponatur a cod. Landi. V. ad div. 3, 9: *te adsunt fere omnes, si quid velis.*

§. 22. *T. Pinarius* Natta, amicus Ciceronis. V. ad div. 12, 24. ad Att. 6, 1, 23; 8, 15, 1; fratrem eius L. Pinarium, nepotem sororis suae, Caesar heredem instituit. V. Suet. Caes. 83. — *complectere,* tibi adiunge, in amicos recipe. V. ad Cic. pet. Cons. p. 38.

VII. §. 23. *T. Anicius,* fortasse pararius fuit. — *aliam in sententium scribere,* te de suburbano emendo non cogitare. — *de se.* Lamb. *de te.* Schütz. voces, ut ineptas, delevit; defendit Bentivogl. locis ep. ad Att. 3, 24, 1, ubi *se invitis* est pro *illis invitis;* et 4, 15, 4, *domi suae* pro *domi eius.* Cf. Sanct. Min. 2, 12. — *Epicharmi,* de quo v. ad Q. Cic. Pet. Cons. p. 50. — γνῶθι, πῶς ἄλλῳ

**tum denique vultum, sermonem, animum eius; quem-
24. admodum coniicio, quasi. Sed haec tu videris. De suburbano, cura, ut sciam, quid velis: et simul nequid ille turbet, vide. Quid praeterea? Quid? Etiam. Gabinius a. d. IIII. Kal. Octobr. noctu in urbem introivit; et hodie H. VIII., quum edicto C. Alfii, de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno et odio universi populi paene afflictus est. Nihil illo turpius. Proximus tamen est Piso. Itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset; quorum alter exerci-
25. tum perdidisset, alter vendidisset. Ex Britannia Cae-**

κέχρηται i. e. *nosce, quemadmodum alio usus sit.* Explora prius, quam alicui fidem habeas, quomodo se erga alios gesserit, qua fide in alios fuerit. Cf. Isocrat. ad Demonic.: Μηδένα φίλον ποιοῦ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς, πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις φίλοις· ἔλπιζε γὰρ αὐτὸν καὶ περὶ σὲ γενέσθαι τοιοῦτον, οἷος καὶ περὶ ἐκείνους γέγονε. — *quemadmodum coniicio, quasi.* Locus corruptus. Orell. monet, pro aposiopesi, quae Manutii est sententia, haec vix haberi posse: sed excidisse fortasse voc. Graecum. Suppleri quoque potest v. latinum, v. c. *veteratoris.* Schütz. verba *quemadmodum coniicio* post *ne quid ille turbet* transponenda, et post *quasi* vel addendum vel intelligendum *oblitum esse,* suspicatus est. Ernest. subaudiebat *oblitum videri.*

§. 24. *ne quid ille turbet,* misceat, parum sincera fide agat, damno te implicet. — *Quid praeterea? Quid? Etiam.* Similes epistolarum exitus affert Manut. ad Att. 1, 15, 6. *Novi tibi quidnam scribam? quid? Etiam;* 2, 19, 5: *Quid aliud? quid? Hoc opinor;* 4, 16, 12: *Quid aliud novi? Ettamen;* 4, 7: *Quid superest? Etiam.* — *a. d. IV. Kal. Oct.* (28 Sept.). Ad urbem accessit a. d. XII Kal. Oct. (20. Sept.), v. supra §. 15; fuerat igitur ad urbem per septem dies; non quod triumphum exspectaret, sed quod eum in urbem ingredi puderet, quippe revocatum de provincia; qua de causa et *noctu* introivit. — *C. Alfii* praetoris; v. supra §. 15. et infra ep. 3, §. 3, ubi *quaesitor gravis et firmus* dicitur. — *et hodie,* III. Kal. Oct. — *adesse* in iudicio decimo post nominis delationem die. V. supra l. 2. ep. 13, 2. Delatum igitur eius nomen fuit eodem, quo ad urbem accessit, die a. d. XII Kal. Oct., nihilque spatii ei post adventum a Lentulo accusatore datum. — *afflictus est,* quum iret ad iudicium. — *Nihil illo turp. Prox. tamen* etc. Cf. Hor. od. 1, 12, 19. *Proximus* sc. turpitudine, quippe et ipse revocatus de provincia Macedonia. V. de Pisone supra §. 11. — ἐμβόλιον, episodium, narrationem interpositam, ab argumento proposito seiunctam. — *meor. libror.,* poëmatis de temporibus suis. V. ad lib. 2. ep. 9, 1; ep. 15, 2; 16, 5. — *reditus* ex provincia; redierat autem Piso anno proximo 699 u. c. — *perdidisset* Piso; *vendidisset* Gabinius. V. de provv. Consul. 2. in Pison, 16. Dio Cass. 39, 24.

sar ad me Kal. Sept. dedit literas, quas ego accepi a. d. IIII. Kal. Octobr., satis commodas de Britannicis rebus: quibus, ne admirer, quod a te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, quum ad mare accesserit. Ad eas ego ei literas nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter eius luctum. Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

EPISTOLA II.

Scripta Romae V. Id. Octobr. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Gabinium in senatu vexatum, a Memmio ad populum graviter accusatum, eiusque iudicium proxime futurum narrat 1 — 2. Deinde qui ambitus rei sint, item de comitiis consularibus, de Appii in Ciliciam successione refert 3

MARCUS Q. FRATRI S.

A. d. VI. Id. Octobr. Salvius Ostiam vesperi navi 1.
profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo mitti volueras. Eodem die Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius sic, ut Calidio verbum facere pro eo non licuerit. Postridie autem eius diei, qui erat tum futurus, quum haec scribebam ante lucem, apud Catonem erat divinatio in Gabinium futura inter Mem-

§. 25. *satis commodas,* satis iucundas, bellum Britannicum bene succedere nuntiantes. — *sine te,* relicto in interiore Britannia. — *gratulandi* ob res bello gestas. — *luctum* ob filiam morte amissam. V. supra ad §. 17.

EPISTOLA II.

§. 1. *Salvius.* V. ep. praeced. §. 21. — *Gabinium,* de repetundis accusatum. V. ep. anteced. §. 15. — *ad populum* i. e. concione ad populum, quam pro potestate tribunicia advocaverat Memmius. — *luculente calefecerat,* vehementer vexaverat. Huc pertinet quod Val. Max. 8, 1. de exitu huius concionis narrat. — M. *Calidio,* oratori. V. supra ad 1, 3, 7. — *Catonem,* praetorem de repetundis cognoscentem. V. ep. praeced. §. 15. — *divinatio* i. e. quaestio, quis inter plures, qui accusare volunt, sit admittendus. Sic *divinatio* appellatur Ciceronis oratio in Verrem, in qua agebatur, utrum Caecilius, Verris quaestor, an Cicero Verrem accusaret. Asc. Pedia-

mium et Ti. Neronem et C. et L. Antonios, M. F. Putabamus fore, ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira contentio. Quid quaeris? Probe premitur, nisi noster Pompeius diis hominibusque invitis negotium
2. everterit. Cognosce nunc hominis audaciam, et aliquid in re publica perdita delectare. Quum Gabinius, quacunque veniebat, triumphum se postulare dixisset subitoque bonus imperator noctu in urbem, hostium plane, invasisset, in senatum se non committebat. Interim ipso decimo die, quo eum oportebat hostium nu-

nus hoc iudicium propterea sic appellari scribit, quia sine testibus ac tabulis res agatur, solis argumentis coniecturalibus et nudis praesumtionibus. V. Gell. N. A. 2, 4. ibique intpp. — *Memm. et Tib. Neron.* V. ad §. 15. ep. anteced. — *C. et L. Antonios,* fratres M. Antonii triumviri, filios Marci eius, qui factione Cethegi et gratia Cottae consulis infinitum imperium totius orae maritimae nactus a. u. 680, Siciliam depopulatus est et in expeditione Cretensi, a qua Creticus appellatur, periit; nepotes M. Antonii oratoris. V. Wetzel ad Cic. Brut. 37. Ernest. cl. Cic. — *fore ut.* Zumpt. §. 594. — *daretur* accusatio. — *mira contentio,* summo studio nitebatur, ut ipse accusator constitueretur. — *premitur* Gabinius. — *negotium everterit,* irritum reddat, turbet, Gabinium gratia sua et auctoritate defendendo. V. ad ep. praeced. §. 15. extr.

§. 2. *in re publica perdita delectare.* Billerbeck. ad h. l. affert de legg. 2, 7: *in hoc admodum delector* et ad div. 6, 4: *in hac inani prudentiae laude delector,* ut probet, hoc quoque loco ablativum cum praepositione pendere a v. *delectari.* Quae ratio minime admittenda videtur, quum *delectare* absolute positum sit, quod iam Manutius vidit, qui ad h. v. explicandum addit, »odio senatus in Gabinium, amore in me«, et vv. *in re publica perdita* idem valeant quod: licet res publica sit perdita. — *quacunque veniebat* rediens ex provincia. — *subitoque,* praeter exspectationem, quum triumphans potius ingressurus esse videretur. — *bonus imperator,* ironice dictum; siquidem periti imperatores noctu irrumpunt in hostium urbes, Gabinius vero nequam tacitus noctu introivit. V. §. 24. epist. praeced. — *hostium plane,* quum cives in hostium loco, ipseque eis odio esset. Orell. coniecit: *hostili modo plane,* quum *modo* per compendium scripturae saepissime sit corruptum. — *invasisset* dixit Cicero pro *introisset,* ut metaphoram continuaret. — *in sen. se non committebat;* in senatum venire non audebat (cf. de hac v. *committere* significatione Cic. pro Rosc. Am. 23. Verr. 2, 4. Sext. 54.) quippe exosus senatui, propterea quod consul in concione dixerat: *errare homines, si etiam tum senatum aliquid in republica posse arbitrarentur* pro Sext. 12. — *ipso decimo die,* ab introitu in urbem, i. e. nonis Oct.; nam introivit a. d. IV Kal. Oct. v. §. 24. ep. anteced. Ultra decimum diem differre non potuit in senatum venire. — *quo eum.* Vulgo: *quo ipsum.* — *hostium* caesorum. —

merum et militum renuntiare, irrepsit, summa infrequentia. Quum vellet exire, a consulibus retentus est: introducti publicani. Homo undique actus, quum a me maxime vulneraretur, non tulit et me trementi voce exulem appellavit. Hic, — o dii! nihil unquam honoficentius nobis accidit — consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus eius accederet: pari clamore atque impetu publicani. Quid quaeris? Omnes, tamquam si tu esses, ita fuerunt. Nihil hominum sermone foris clarius. Ego tamen teneo ab accusando vix me hercule: sed tamen teneo, vel quod nolo cum Pompeio pugnare, — satis est, quod instat de Milone,

militum, qui cum eo redierant. — *renuntiare,* in senatu exponere. — *irrepsit* = latenter et haesitans in senatum venit. Ita Schütz. post Manutium aliosque edidit pro codd. lectione: *in re haesit,* quae ex glossemate orta esse videtur. Lipsius suspicatus est: *mire haesit. Irrepsit* i. e. quasi clam in senatum venit, optime opponitur, uti Orell. monet, praecedd. *in senatum se non committebat.* Codd. vero lectionem adversantem sane consuetudini Ciceronis nec facile explicandam tueri conatus est vir doctus (Götting. Anz. 1818. N° 104 p. 1034 sqq.) contra Wedekindii suspicionem *in re haesit. Summa in frequentia quum* etc. — *summa infrequentia* deductorum; quod turpe erat, quum e provincia reversos, quo primum die in senatum venirent, propinqui, familiares, clientes comitari solerent. Lips. suspic. *summa in frequentia* sc. senatorum. — *exire* ex senatu, renuntiato hostium et militum numero. — *consulibus,* quorum Domitius propter Pompeium, inimicissimum suum, Gabinium oderat; Appius, quia missum in Syriam legatum eum recipere noluerat. V. Dio Cass. l. 39. — *publicani* Syriaci, Gabinio infensi propterea quod, quum is finibus provinciae egressus ad restituendum Ptolemaeum Alexandriam esset profectus, praedones oram maritimam Syriae vastaverant; quo facto publicanis vectigalia exigere non licuit. Cf. supra ad l. 2. ep. 13. §. 2. et Dio Cass l. 39. — *actus* = coactus s. in angustias actus, *διωχθείς.* — *vulneraretur* quasi fera, i. e. accusaretur. — *non tulit,* tacere non potuit. — *trementi,* ira intercepta. — *impetu,* ad corpus eius accedentes. — *publicani,* quos in consulatu sibi devinxerat Cicero. — *tamquam si tu esses, ita fu.* i. e. acerrimi in Gabinium — *foris,* extra curiam apud vulgum s. ceteram multitudinem. — *me hercule* scripsit Orell. cum C. ut *me* pendeat e verbo *teneo.* Vulgo: *mehercule.* — *teneo.* Non accusavit Gabinium de maiestate; adeoque defendit de repetundis rogatu Pompeii. V. pro Rabir. Post. 8. Dio Cass. l. 39. Quod idem Dio tradit, Gabinium de maiestate a Cicerone esse accusatum, nonnisi ad testimonium acerbissimum, quod in illum dixit, pertinere potest. V. infra ep. 4, 2. ep. 9, 1: *Testis vehemens fui; praeterea quievi.* — *cum Pompeio,* qui ideo Gabinii causam suscepit, quod literis eum ad Ptolemaeum reducendum incitaverat. V. Dio l. 39. — *de Milone,* quem optime de se meritum, consulatum petentem

— vel quod iudices nullos habemus. Ἀπότευγμα formido: addo etiam malevolentiam hominum: et timeo, ne illi, me accusante, aliquid accidat: nec despero rem et sine me et nonnihil per me confici posse.
3. De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt: a Memmio, Domitius: a Q. Curtio, bono et erudito adolescente, Memmius: a Q. Pompeio, Messala: a Triario, Scaurus. Magna res in motu est, propterea quod aut hominum aut legum interitus ostenditur. Opera datur, ut iudicia ne fiant. Res videtur spectare ad interregnum. Consules comitia habere cupiunt: rei no-

Cicero adiuvit; v. infra ep. 9. §. 2., quum Pompeius Guttae faveret; v. infra ep. 8. §. 6. — *iudices nullos* = nullius pretii. V. ad Q. Cic pet. Cons. §. 25 extr. — *ἀπότευγμα* (ab ἀποτυγχάνω, spe frustror, non obtineo) = infelicem successum, sc. accusationis meae, ob iudicum sordes. — *ne illi ... aliquid accidat* i. e. ne absolvatur; nam qui me oderunt, fortasse illum, me accusante, sublevarent. *Manut.* At vero haec explicatio contra significationem v. *accidere* esse videtur, quod per εὐφημίαν pro *condemnari* legitur pro Mil. 22. 36. Poterit igitur sensus esse: timeo, ne condemnetur, indeque Pompeius a me abalienetur. Qua tamen interpretatione admissa, quod antecessit ἀπότευγμα non ad absolutionem Gabinii referri potest. Schütz. malit *accedat*, nimirum aliquid emolumenti. — *nonnihil per me*, opem aliquam aliis accusantibus subministrantem, licet ipse non accusem.

§. 3. *Memmio*, tribuno itemque consulatus candidato. V. ad Att. 4, 16, 8. — *Domitius*, quem absolutum iudicio inde constat, quod anno proximo consul fuit cum Messala. V. infra ep. 8, 3. — *Q. Pompeio* Rufo. Fuit Sullae dictatoris ex filia nepos et Clodii familiarissimus; biennio post tribunus plebis cum Planco Bursa collega, occiso Clodio, saepe atque acriter in Milonem ac Ciceronem concionatus est, Romaque in exilium missus cum Bursa, quia plebem incitaverant ad corpus Clodii in curiam ferendum hancque incendendam. V. pro Sulla 19. ad Att. 4, 16, 8. ad div. 8, 1, 4. Ascon. ad Milonian. Dio Cass. l. 40. — *a P. Triario M. Scaurus*, principis senatus filius, quem Cicero defendit. V. Ascon. Arg. or. pro Scaur.; ad Att. 4, 17, 2. — *Magna.* Sic Orell. ex codd. edittq. dedit pro vulg. *magno.* — *hominum* i. e. candidatorum, si condemnantur. — *legum*, si absolvuntur. — *interitus* de hominibus h. l. exilium, uti ep. seq. §. 3. *pernicies*, denotat, quum mortis supplicium lex Sempronia a civibus Romanis arceret. — *ut iud. ne fiant*, quae intercessione tribuni pl. aut edicto consulis tolli poterant. De *ut ne* v. Zumpt. §. 347. not. — *ad interregnum.* V. infra ep. 8, §. 4. Ad Att. 4, 16, 11: *res fluit ad interregnum*, quo etiam deducta est; nam Cn. Domitius Calvinus et M. Valerius Messala non Cal. Ian., sed m. Aprili a. u. 701. consulatum ex interregno inierunt. — *rei nolunt*, quia ratio eorum haberi non potuit in comitiis consularibus,

lunt, et maxime Memmius, quod Caesaris adventu se sperat futurum consulem. Sed mirum in modum iacet. Domitius cum Messala certus esse videbatur. Scaurus refrixerat. Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum: qui quidem mirificus illo die, quod paene praeterii, fuit in Gabinium: accusavit maiestatis; nomina data, quum ille verbum nullum. Habes forensia. Domi recte, et ipsa domus a redemptoribus tractatur non indiligenter.

quamdiu essent accusati. V. ep. seq. §. 2: *Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus;* ad Att. 4, 16, 6. — *Caes. adventu* non in urbem; cum imperio enim erat; sed in Galliam togatam s. cisalpinam, cuius pars cispadana civitatem Romanam, transpadana ius Latii habebat, cuiusque coloniae Romanae et municipia ad suffragia veniebant. His fore ut a Caesare commendaretur sperabat Memmius; simulque inde, quo ex Gallia transalpina peragendorum conventuum causa veniebat, de suis militibus Caesar Romam mittere poterat, qui Memmium in petitione consulatus adiuvarent. Cf. ad Att. 4, 17, 2: *Memmius Caesaris militibus commendetur;* infra ep. 8, 3: *Memmius in adventu Caesaris habet spem.* — *iacet* = nil valet; consulem se futurum parum spei habet. Idem est quod infra ep. 8, 3 dicit: *friget;* supra l. 2. ep. 15 extr. §. 4. *Messala flaccet;* ad Att. 4, 15, 7: *Messala languet.* — *certus esse vid.* de consulatu adipiscendo. Cf. ad Att. 4, 16, 6: *Messala noster et eius Domitius competitor liberalis in populo valde fuit. Nihil gratius. Certi erant consules.* — *refrixerat.* Hoc. v. itidem de candidatis dicitur, quum spem potiundi honoris amittunt. V. ad Att. 4, 18, 3. Refrixerat autem Scaurus, quum eum iam pridem abiecisset Pompeius, ut infra est ep. 8, 3. — *sine lege curiata.* Lege curiata imperium dabat populus, senatus lege Cornelia; qui lege curiata, sumtu publico, qui Cornelia, suo sumtu in provinciam proficiscebantur. V. ad Att. 4, 16, 12: *Appius sine lege, suo sumtu, in Ciliciam cogitat;* ad Att. 4, 18, 2; ad div. 1, 9, 25: *sunt qui putent posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur.* Timebat autem Appius, quum ferretur lex curiata, intercessionem alicuius tribuni plebis, ob turpem, quam cum Memmio et Domitio fecerat, pactionem; v. ad Att. 4, 18, 2; 15, 7; ep. anteced. §. 16. — *Lentulo nostro* Spintheri, qui consul de Cicerone revocando ad senatum retulit. V. ad Quir. post red. 5. — *successurum* in proconsulatu Ciliciae. — *illo die,* nimirum *ipso decimo die* i. e. non. Octobr., quo Gabinius in senatum irrepsit; v. supra §. 2. — *accus. maiestatis,* non in foro apud praetorem, ubi L. Lentulus eum postulavit (v. supra ep. 1. hui. libr. §. 15), sed in senatu. — *nomina data* i. e. protulit nomina eorum, quibus testibus convinci posset Gabinius, qui participes aut conscii fuerant criminis maiestatis. — *verbum nullum* sc. protulit. — *ipsa domus* utriusque nostrum; hinc pluralem numerum *a redemptoribus* posuit. V. ep. seq. §. 1. ep. anteced. §. 6; ep. 9. h. l. §. 7. l. 2, 4, 2. — *non indiligenter* = satis strenue et assidue.

EPISTOLA III.

Scripta Romae circa Id. Octobr. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Scribit de occupationibus suis et rebus domesticis 1; de comitiorum dilationibus 2; de Gabinio ambitus reo 3; de Q. Ciceronis filii studiis 4.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. Ita, quidquid conficio aut cogito, in ambulationis tempus fere confero. Negotia se nostra sic habent; domestica vero, ut volumus. Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur, et nos et inter se amant. Expolitiones utriusque nostrûm sunt in manibus: † sed tua ad perfectum iam res rustica Arcani et Laterii. Praeterea de aqua et de via nihil praetermisi quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. Sed me illa cura sollicitat angitque vehementer, quod dierum iam amplius L. intervallo nihil a te, nihil a Caesare,

§. 1. *librarii manus.* Cf. ad Att. 4, 16, quae epistola iisdem fere verbis incipit: *Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est.* Coll. supra l. 2. ep. 16 init. — *quo die.* De repetitione substantivi, quod antecessit, inprimis v. *dies* sequente pronomine relativo v. Zumpt. §. 742. — *conficio,* scribo. — *cogito* mox chartae mandandum. — *ambulationis,* quam Cicero in ep. ad Tironem, ad. div. 16, 18. vocat περίπατον σύμμετρον, ambulationem moderatam, quaque post dicendi contentionem utebatur, ut latera pectusque affectum reficeret. — *negotia* sc. publica. — *pueri,* duo Cicerones filii, Marcus et Quintus. V. supra l. 2. ep 14, 2. l. 3. ep. 1, 7; infra §. 4. — *expolitiones* aedium nostrarum. Cf. ep. 1. h. l. §. 6. — *sunt in manibus,* tractantur, urgentur. — † *sed tua ad perfectum iam res rustica.* Locus corruptus. Ernest et Schütz., praeeunte Lambino, ediderunt: *sed tua paene ad tectum. Iam res rusticas Arc.* — *Arcani et Laterii;* v. ep. 1 h. l. §. 1—4. praedia fuerunt Quinti in Arpinati. — *et de via.* Vulgo: *et via.* V. Zumpt. §. 745. et ad Q. Cic. pet. Cons. p. 30. — *quadam epistola,* quae est hui. lib. 1. ubi v. §. 3 sq. — *enucleate,* diligenter et accurate. Nonius explicat: *purgate, exquisite, sine asperitate aut duritia;* duc-

nihil ex istis locis non modo literarum, sed ne rumoris quidem affluxit. Me autem iam et mare istuc et terra sollicitat: neque desino, ut fit in amore, ea, quae minime volo, cogitare. Quare non equidem iam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas, — nunquam enim, quum potes, praetermittis, — sed hoc te scire volo, nihil fere unquam me sic exspectasse, ut, quum haec scribebam, tuas literas. Nunc cognosce 2.
ea, quae sunt in re publica. Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus, magna voluntate bonorum omnium: tanta invidia sunt consules propter suspicionem pactorum a candidatis praemiorum. Candidati consulares quattuor; omnes rei; causae sunt difficiles: sed enitemur, ut Messala noster salvus sit; quod est etiam cum reliquorum salute coniunctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio. Contra

tum a nucleis nucum. — *ex istis locis,* ex Britannia. V. ad Att. 4, 16, 10. ad div. 1, 9, 21; supra l. 2. ep. 16, 4. — *mare ist. et terra,* ob tempestates maritimas et pugnas terrestres. — *de rebus istis,* quas in Britannia agatis. — *sic* = tantopere, tanto ardore.

§. 2. *comitiorum dies* = dies comitiales. — *tolluntur,* dirimuntur, comitiales esse desinunt. — *obnuntiationibus,* quae fiebant, quum aliquis magistratus curulis aut tribunus plebis diceret, se illo die de coelo servaturum. V. ad Att. 4, 16, 7: *obnuntiationibus per Scaevolam interpositis;* ad Att. 4, 3, 3: *proscripsit Sestius se per omnes dies comitiales de coelo servaturum.* Cf. Casaub. ad Suet. Caes. 20. — *bonorum omnium,* qui pacta a candidatis praemia consules consequi nolebant. — *suspicionem pactorum,* quam pactionem Memmius postea in senatu recitavit. V. ad Att. 4, 13, 2. coll. supra 2, 15, 4; 3, 1, 16. — *praemiorum, uti ambo* (Memmius et Domitius) *HS quadragena consulibus darent;* v. ad Att. l. c. — *omnes rei,* de ambitu accusati; v. §. 3. ep. antec. — *difficiles,* quae non facile defendi possint. — *Messala,* quem cum reliquis absolutum esse vides infra ep. 8, 3. — *reliquorum* candidatorum, quorum absolutio absolutioni Messalae ideo coniuncta dicitur, quod omnes eodem nomine rei erant, et ab exitu causae unius etiam reliquorum pendere debebat. — *P. Sulla.* Cf. ad Att. 4, 16, 11. Est idem, quem Cicero oratione quae exstat, de vi defendit. V. Ern. ind. hist. — *privigno Memmio;* v. §. 15. ep. 1. h. l. — *fratre* uterino, quum esset gentis *Caeciliae,* Sulla autem gentis Corneliae. — *Sulla filio.* Ern. et Schütz. *Sullae filio,* quasi non sit alius subscriptor, sed idem cum Caecilio. — *Contra dixit* in divinationis iudicio, ut

dixit L. Torquatus, omnibusque libentibus non obtinuit.
3. Quaeris, quid fiat de Gabinio? Sciemus de maiestate
triduo: quo quidem in iudicio odio premitur omnium
generum: maxime testibus caeditur: accusatoribus frigidissimis utitur: consilium varium: quaesitor gravis
et firmus Alfius; Pompeius vehemens in iudicibus rogandis. Quid futurum sit, nescio: locum tamen illi in
civitate non video. Animum praebeo ad illius perni-
4. ciem moderatum; ad rerum eventum lenissimum. Habes fere de omnibus rebus. Unum illud addam. Cicero tuus nosterque summo studio est Paeonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni. Sed

ipse non Sulla, accusandi munus obtineret. V. ad Att. 4, 16, 11: *quem* (Gabinium) *P. Sulla ... postularat, contra dicente et nihil obtinente Torquato.* — *L. Torquatus,* qui eidem Sullae iam consuli designato in annum 689 ambitus accusato et damnato consulatum eripuit et ad patrem retulit. V. pro Sull. 2. de finn. 2, 19. — *omn. libent.,* quum scirent, Torquatum veteri in Sullam inimicitia duci, propensiores in hunc fuerunt maluerantque eum accusatorem constitui.

§. 3. *de Gabinio.* Haec vv., quae glossema videntur Bentivogl., omisit Lambinus. — *omnium generum,* quocirca universus fere populus ad iudicium concurrit parumque abfuit, quin eum discerperet. — *caeditur,* affligitur, premitur; verbum, ut alia *multa,* a bello ad forum translatum; cf. supra l. 2, 4, 1: *concidimus;* 6, 6: *conciduntur;* ad Att. 4, 15, 9: *pugnatur acriter.* — *accusatoribus,* L. Lentulo eiusque subscriptoribus. V. ep. seq. init.; ad Att. 4, 16, 9; supra ep. 1 h. l. §. 15. — *utitur.* Pighius perperam coniecit *uritur,* quum illud optime concinat cum *frigidissimis.* — *consil. varium,* iudicum alii boni, alii improbi, in varias distrahuntur sententias. — *quaesitor,* praetor C. Alfius (v. §. 24. ep. 1. h. l.), qui quaerebat de maiestate, quaestioni praeerat. Omnes praetores, praeter urbanum, qui tantum ius dicebat, quaestioni poterant praeesse; quaerebant nonnunquam extra ordinem senatus populique decreto etiam consules aliique. V. Heinecc. antiqq. 4, 18, 13. — *veh. in iud. rogandis.* Cf. ep. seq. §. 1: *incredibiles preces ac contentio Pompeii.* — *locum tamen illi in civit. non video,* i. e. exilio mulctari puto; nam etiamsi de maiestate absolvatur, de ambitu tamen aut de repetundis damnabitur. Idem quod Cicero h. l., Antiochus, Gabinii libertus, hora post patronum absolutum lege Papia condemnatus urbeque eiectus, graeco versu innuit, quum Gabinium quoque expellendum fuisse significare vellet. Cf. ad Att. 4, 16, 12. — *moderatum,* non nimis cupidum condemnationis illius. Cf. infra ep. 9, 1: *testis vehemens fui: praeterea quievi.* — *ad rer. event. leniss.* = quidquid evenerit, aequo animo feram.

§. 4. *tuus nosterque.* Cf. supra ad l. 2. ep. 14. §. 2. l. 3. ep. 1. §. 14. — *summo sudio est.* Lambin. *summo studio instituitur.* Supra ep. 1. h. l. §. 14: *non cessavit apud rhetorem.* —

nostrum instituendi genus esse paullo eruditius et θετικώτερον non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter atque illam disciplinam volo, et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur. In quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus; eodem enim perventurum esse confidimus. Sed tamen, si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus. Magna enim nobis a te proposita merces est, quam certe nostra culpa nunquam minus assequemur. Quibus in locis et qua spe hiematurus sis, ad me quam diligentissime scribas velim.

EPISTOLA IV.

Scripta Romae IX. Kal. Nov. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. De Gabinio propter accusatoris et subscriptorum infantiam, iudicii sordes, et Pompeii contentionem absoluto scribit, et, quare eum nec defenderit, nec accusarit, sed tantum testimonium contra eum dixerit, ostendit 1—3; de versibus, quos Q. Cicero a Marco scribi voluerat 4; de bibliotheca Quinti curanda; et de aliis quibusdam domesticis 5—6.

MARCUS Q. FRATRI S.

Gabinius absolutus est. Omnino nihil accusatore 1.
Lentulo subscriptoribusque eius infantius, nihil illo

θετικώτερον, philosophicis quaestionibus magis refertum s. aptum, subtilius, φιλολογώτερον, magis ex arte dialectica. Crat. τεχνικώτερον; quod illius glossema. V. supra l. 2, 14, 2: *magistrum me ei profiteor; cuius rei nonnullam consuetudinem sum nactus* cet. — *Quare;* ad superiora: *summo studio, est* pertinet. — *neque . . . et.* V. Zumpt. §. 337. — *iter atque disciplinam* = disciplinae iter s. rationem. — *declamat. genere* Paeonii rhetoris, quod verborum magis copiam spectabat quam sententiarum acumen, subtili arte rationeque eliciendum. — *rus aliquo* = in aliquam villam. — *merces* maior erga me amor tuus. V. ad ep. 1. h. l. §. 7. — *minus assequemur* = imminui patiemur. — *qua spe,* tui ditandi vel ex praeda bellica vel Caesaris liberalitate. *Manut.*

EPISTOLA IV.

§. 1. *absolutus est* maiestatis crimine. — *infantius.* Ad Att. 4, 16, 9: *accusatorum incredibilis infantia.* V. supra ad ep. 1. h. l.

consilio sordidius. Sed tamen nisi incredibilis contentio et preces Pompeii, dictaturae etiam rumor plenus timoris fuisset, ipsi Lentulo non respondisset, qui tamen illo accusatore illoque consilio sententiis condemnatus sit XXXII., quum LXX. tulissent. Est omnino tam gravi fama hoc iudicium, ut videatur reliquis iudiciis periturus, et maxime de pecuniis repetundis. Sed vides nullam esse rem publicam, nullum senatum, nulla iudicia, nullam in nullo nostrûm dignitatem. Quid plura de iudicibus? Duo praetorii sederunt, Domitius Calvinus; is aperte absolvit, ut omnes viderent: et Cato; is, diremtis tabellis, de circulo se subduxit et Pompeio

§. 15. — *illo consilio* iudicum *sordidius,* qui se pecunia corrumpi passi sunt. Ad Att. l. c.: *iudicum sordes.* — *incred. cont.* Ad Att. l. c.: *Pompeii mira contentio.* — *dictat. rumor,* quam Pompeio delatum iri putabant et quam maxime timebant iudices. V. ad Att. l. c. §. 11: *est nonnullus odor dictaturae*: *sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuvit.* Cf. infra ep. 7, 2; 8, 4. 9; 9, 3; supra l. 2. ep. 15, 5. — *ipsi Lentulo,* frigidissimo ineptoque accusatori. — *qui tamen* = quum is tamen. Sensus: idque inde patet, quod, licet tam infans esset accusator tamque sordidi iudices, tamen e LXX, qui sententias tulerant, XXXII fuerint, qui Gabinium condemnarent. V. ad Att. 4, 16, 9: *Attamen XXXII condemnarunt, XXXVIII absolverunt.* — *reliquis iudiciis* de ambitu et de repetundis. — *periturus.* Damnatum Gabinium Dio Cass. l. 39. tradit. — *nullam in nullo nost. dign.* Orell. defendi posse hanc lectionem ait illis Verr. 2, 24: »*debebat nullum nummum nemini.* Cf. ad Q. Cic. de petit. Cons. p. 29. In vett. editt. legitur *ullo.* — *sederunt,* propria vox de iudicibus. V. Cic. de or. 1, 36; pro Rosc. Com. 4. pro Cluent. 37. 38. De iudicum delectu per sortitionem v. Heinecc. antiqq. l. 4, tit. 18. §. 23. et Manut. ad h. l. — Cn. *Domitius Calvinus,* consul anni seq. V. supra l. 2. ep. 15 b. §. 4; h. l. ep. 1. §. 16. — *aperte,* quum ceteri sententias tecte ferrent. — *Cato,* non Uticensis, qui praetor hoc anno erat (v. infra §. 6; supra ep. 1. h. l. §. 15.); praetores autem in aliorum praetorum consilio iudices sedisse, non est ut credi possit. Praeterea hic Cato, vir severus et constans, nunquam adulandi gratia Gabinium absolutum primus Pompeio nuntiasset. Est igitur, quod Manut. vidit, alius Cato vel Porcius, vel Hostilius. De C. Catone, qui tribunus pl. fuit anno superiori, non licet intelligi; non enim uno tantum anno post tribunatum gerere praeturam potuit. — *diremptis tabellis* i. e. discretis, dinumeratis tabellis, ut quae damnassent quaeque absolvissent cognosceretur. *Diremtis* de Sigonii et Manut. coniect. ediderunt Ernest. et Schütz. Gruchius: *diribitis,* quod probavit Lamb. At vero *dirimi* est: dinumerari lata suffragia, *diribi* contra: distribui ferenda. V. Ern. cl. Cic. v. *diribere.* — *circulo* circa praetoris tribunat, ubi iudices sedentes sententias tulerant. — *Pompeio,*

primus nuntiavit. Aiunt nonnulli, item Sallustius, me oportuisse accusare. Iis ego iudicibus committerem? Quid essem, si me agente esset elapsus? Sed me alia moverunt. Non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen: in urbem introisset: ad inimicitias res venisset: cum Aesernino Samnite Pacideianus comparatus viderer; auriculam fortasse mordicus abstulisset; cum Clodio quidem certe rediisset in gratiam. Ego vero meum consilium, si praesertim tu non improbas, vehementer approbo. Ille, quum a me singularibus meis studiis ornatus esset, quumque ego illi nihil deberem, ille mihi omnia, tamen in re publica me a se dissentientem non 2.

qui cum imperio (v. ad div. 1, 9, 9; supra ad l. 2. ep. 1 extr.; ep. 3. §. 3.) ideoque extra urbem erat. Sequitur enim statim: *in urbem introisset.* Ad urbem eum in suburbano iudicii exitum exspectasse narrat Dio l. 39 extr. — *nuntiavit,* quo gratiam ab eo iniret.

§. 2. Cn. *Sallustius,* Ciceronis libertus. V. de div. 1, 28. ad div. 14, 4, 6. 11. ad Att. 1, 3, 11. ep. seq. §. 1. — *committerem.* Orell. suspicatur addendum *me.* Manut. supplevit: *causam.* — *quid essem* = quam contemtus essem. — *agente,* accusante. — *elapsus* = absolutus. V. Verr. 1, 12. 34. 2, 58. pro Sext. 64. — *illius,* Gabinii. — *de sua dignitate,* quasi ego vellem experiri, uter plus valeret, ipse ad absolutionem, ego ad condemnationem Gabinii. *Manut.* — *introisset.* V. §. 1. Vulgo: *intrasset.* — *cum Aes. Samn. Pacid.,* insigne par gladiatorum, quorum hic tamen minor illo. Cf. de opt. gen. oratt. 6, ubi Lucilii versibus Aeschinem cum Aesernino, Demosthenem cum Pacideiano comparat. Coll. Tuscul. 4, 21. Hor. sat. 2, 7, 97. Lucilii versus apud Nonium 4, 62. hi sunt:

— Aeserninus flacco fuit ore
Samnis, spurcus homo, vita illa dignus locoque,
Cum Pacideiano componitur, optimu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Pro *Pacideianus* Ern. et Schütz. habent *Pacidianus.* — *auriculam.* Alludit ad id quod Lucilius fortasse illo loco narraverat, Aeserninum Pacideiano in pugnando, ubi ad complexum ventum est, auriculam mordicus abstulisse. — *cum Clodio,* inimico suo. V. supra l. 2. ep. 3. — *meum consil.* non accusandi Gabinium, ne Pompeium offenderem. — *ornatus esset* maxime suadenda lege Manilia et supplicatione duodecim dierum Mithridatico bello confecto ei decernenda. — *quumq. ego illi nihil deb.* Haec vv. de tempore ante exilium Ciceronis intelligenda; nam post exilium se multum Pompeio debere saepe profitetur Cicero. — *dissentientem,* pro republica loquentem agentemque, quum Pompeius, Caesar, Crassus ad suam potentiam omnia referrent. — *non tulit,* offensus quippe me in exilium a Clodio eiici passus est. —

tulit, — nihil dicam gravius, — et minus potens eo tempore, quid in me florentem posset, ostendit. Nunc, quum ego ne curem quidem multum posse, res quidem publica certe nihil possit, unus ille omnia possit, cum illo ipso contenderem? Sic enim faciendum fuisset. Non existimo te putare id mihi suscipiendum fuisse.
3. »Alterutrum, inquit idem Sallustius, defendisses idque Pompeio contendenti dedisses: etenim vehementer orabat.« Lepidum amicum Sallustium, qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse aut infamiam sempiternam! Ego vero hac mediocritate delector: ac mihi illud iucundum est, quod, quum testimonium secundum fidem et religionem gravissime dixissem, reus dixit, si in civitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum: neque me quidquam interrogavit.
4. De versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi quidem opera, quae non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam

nihil dicam gravius, non dicam quod vere possem *prodidit*. Manut. — *minus potens*; postea enim discessu Caesaris et Crassi longe *potentia* Pompeii adaucta est.

§. 3. *Alterutrum*. Iunius coniecit: *Alterum igitur*, quod probavit Bentivogl. Sed vulg. recte habet, cuius sensum ita explicat Orell.: »Alterutrum fecisses! accusare si nolebas, defendisses!« atque sic iam Wieland. locum reddidit. — *defendisses* = defendere debebas. Sic Verr. 1, 42: *Voconia lex te videlicet delectabat. Imitatus esses ipsum illum C. Voconium*; de off. 3, 12: *male Curio ... vincat utilitas; potius diceret* cet. — *contendenti* = valde roganti. — *dedisses* = tribuere, gratificari debebas. — *inimicitias* cum Pompeio, si accusassem. — *infamiam*, si defendissem. Et tamen paulo post Gabinium defendit. Cf. ad §. 15 extr. ep. h. l. — *putet*. V. Zumpt. §. 564. — *hac mediocritate*, quod mediam quasi viam tenuerim, testimonio tantum dato. V. infra ep. 9. §. 1. — *si in civitate licuisset sibi esse* = si absolutus esset; damnati enim de maiestate exulabant — *satisfacturum*, gratiam relaturum, quod, testimonio contentus, eum non accusassem. — *interrogavit*, quod facere licebat reis, ubi de testium sinceritate dubitabatur, quo eos in mendacio deprehenderent. Sic a reo Milone interrogatos testes, quos accusator produxerat, apud Pedianum legitur; *neq. me quidq. interr.* igitur idem est ac si dixisset: »testimonium meum secundum fidem et religionem fuisse agnovit.«

§. 4. *De versibus*. Cf. supra ad l. 2. ep. 16. §. 4. — *deest mihi quidem opera*, i. e. operam in iis perficiendis ponere non possum. —

ἐνθουσιασμός. Non enim sumus omnino sine cura venientis anni, etsi sumus sine timore. Simul et illud — sine ulla mehercule ironia loquor — tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi.
De bibliotheca tua Graeca supplenda, libris commu- 5.
tandis, Latinis comparandis; valde velim ista confici, praesertim quum ad meum quoque usum spectent. Sed ego, mihi ipsi ista per quem agam, non habeo. Neque enim venalia sunt, quae quidem placeant, et confici nisi per hominem et peritum et diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo et cum Tyrannione loquar. De fisco quid egerit Scipio, quaeram. Quod videbitur rectum esse, curabo. De Ascanione, tu vero, quod voles, facies: me nihil interpono. De suburbano quod non properas, laudo: ut tu habeas, hor-
tor. Haec scripsi a. d. IX. Kal. Novemb., quo die 6.
ludi committebantur, in Tusculanum proficiscens ducensque mecum Ciceronem meum in ludum discendi, non lusionis: ea re non longius, quam vellem, quod

ἐνθουσιασμός, afflatus divinus, furor poëticus, animi alacritas. V. ep. seq. §. 4: *nec sane satis commoveor animo ad ea, quae vis, canenda.* — *sine cura ven. anni.* Timebat omnino, ne P. Clodius praetor fieret. — *ironia* = dissimulatione, cavillatione. — *istius generis in scribendo* = istius generis scribendi, s. versuum scribendorum. V. ep. seq. §. 4: *isto eloquendi et exprimendi genere.*

§. 5. *spectent.* Land. *spectet,* quod a v. *bibliotheca* penderet. — *confici* i. e. describi ab aliis libris. Cf. ep. seq. §. 6. — *Chrysippo ... Tyrannione,* servis literatis, quorum hic praeceptor Ciceronis iunioris erat. V. supra ad l. 2. ep. 4. §. 2; de illo cf. ep. seq. §. 6. ad Att. 7, 2; 11, 2. — *De fisco* = de eo quod tibi ex aerario debetur. V. ep. seq. §. 6: *Ab aerario puto confectum esse, dum absum.* De re ipsa nil aliunde constat. — *Ascanione,* servo Quinti, quem hic fortasse manumittere volebat. De structura v. *facere* cum praep. *de* v. Zumpt. §. 491. — *suburbano* emendo. V. supra ep. 1. h. l. §. 23.

§. 6. *a. a. IX. Kal. Nov.* (24 Oct.). Manut., qui in vetere calendario Romano se vidisse primum ludorum Victoriae diem, *VI Kal. Nov.* (27. Oct.) ait, sic legendum coniecit. Bentivogl. perperam intelligit ludos Romanos, qui mense Sept. fiebant. V. ad ep. 1. §. 1. h. l. — *committebantur* = incipiebantur. V. de finn. 3, 2. Liv. 2, 36. — *Ea re non longius* sc. ab urbe abiturus sum. — *quam vellem.* Haec vv. Manutio abundare videbantur. Ern. suspicatus est *quamquam vellem;* Lall. *quod vellem.* —

Pomptinio ad triumphum a. d. III. Non. Novemb. volebam adesse. Etenim erit nescio quid negotioli. Nam Cato et Servilius, praetores, prohibituros se minantur: nec, quid possint, scio. Ille enim et Appium consulem secum habebit et praetores et tribunos pl. Sed minantur tamen: in primisque Ἄρη πνέων Q. Scaevola. Cura, mi suavissime et carissime frater, ut valeas.

EPISTOLA V ET VI.

Scripta in Tusculano, exeunte mense Nov. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. De libris de re publica e Sallustii consilio refingendis 1—2; et de Caesaris erga se amore scribit 3; ad versus, quos Quintus a se scribi voluerat, sibi tempus et animi alacritatem deesse 4; denique Gabinium cur non defenderit 5; de libris Quinto emendis; de eius negotiis argentariis 6, et de tragoediis a Quinto scriptis 7.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Quod quaeris, quid de illis libris egerim, *quos*, quum essem in Cumano, scribere institui, non cessavi

Pomptinio. Ern. et Schütz. *Pomptino,* de qua scripturae diversitate v. Ern. cl. Cic. C. Pomptinius praeturam gessit Cicerone consule. V. pro Flacc. 40. Legatus eius fuit in Cilicia. V. ad div. 2, 15; 3, 3; 15, 4. Tunc triumphaturus erat de Allobrogibus, quos propraetor Galliae Narbonensis quatuor annis ante vicerat. V. ad Att. 4, 16, 12. Dio Cass. l. 39. — *a. d. III. Non. Nov.* (3 Nov.) Cf. ad Att. l. c., ubi exstat *IV Non. Nov.* (2 Nov.) — P. *Servilius;* Isaurici filius. Cf. supra ad ep. 1. h. l. §. 20. — *App. cons. secum habebit.* Ad Att. l. c.: *erit cum Pomptinio Appius consul.* — Ἄρη πνέων i. e. Martem spirans, terribile quid ipso vultu prae se ferens; ut Aristophaneum Ἄρη βλέπων. Cf. ad Att. 15, 11, 1: *Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum.* — *Q.* Mucius *Scaevola* Q. F. Q. N. tribunus plebis. Apud Quintum in Asia fuerat. V. supra l. 1. ep. 2. §. 13. Hic cum aliis tribunis valde molestus fuit Pomptinio, ut sine magnis concertationibus et caedibus illi triumphum ducere non licuerit. V. Dio Cass. l. c.

EPISTOLA V ET VI.

§. 1. *de illis libris* de re publica. Cf. supra 2, 14, 1. — *in Cumano.* V. supra l. c.

neque cesso: sed saepe iam scribendi totum consilium rationemque mutavi. Nam iam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quae fuerunt Tuditano et Aquillio consulibus, sermo est a me institutus Africani, paullo ante mortem, et Laelii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis et Laelii generorum, Fannii et Scaevolae: sermo autem in novem et dies et libros distributus de optimo statu civitatis et de optimo cive — sane texebatur opus luculente hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat — hi libri quum in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio, admonitus sum ab illo multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de re publica, praesertim quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in re publica rebus essem: quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse: oratorium sermonem in illis nostris libris,

novendialibus iis feriis. Novendialia sacrificia prodigia procurandi causa, maxime quum lapidibus pluisse diceretur, per *novem* dies fiebant. Cf. omnino Liv. 1, 31. — C. Sempronio *Tuditano et* M'. *Aquillio cons.* a. u. c. 625. — *Africani* minoris, qui hoc ipso anno occisus est V. pro Mil. 7. — *C. Laelii* sapientis, qui consul fuit cum Q. Servilio Caepione a. u. c. 614; P. Furii *Phili*, qui consul fuit cum Sex. Atilio Serrano a. u. c. 618; M. *Manilii*, qui cum L. Marcio Censorino cos. fuit a. u. 605; *Q.* Aelii *Tuberonis*, qui ex Africani minoris sorore, L. Aemilii Paulli filia, natus erat. Praeter hos ad Att. 4, 16, 2. nominatur *P. Rutilius* Rufus. — C. *Fannii*, historiae scriptoris, *et* Q. Mucii *Scaevolae*, consulis a. u. 637, quos in libro de amicitia cum socero Laelio colloquentes facit. — *novem dies*, quia sermo erat institutus novendialibus feriis. — *libros*, quos tamen postea sex fecit. — *luculente* = eleganter, splendide, ex codd. dedit Orell. pro vulg. *luculenter*. Cf. supra h. l. ep. 2, 1. — *Sallustio*, de quo v. ep. anteced. §. 2. — *si ipse loquerer*, omisso dialogo, ut Aristoteles in politicis. — *Heraclides Ponticus*, Heracleota ex Ponto, qui Athenas profectus, Platonis, Speusippi et Aristotelis auditor fuisse perhibetur, et circa Ol. CXIII, 1. floruit; quum alia multa, tum, Aristotelis exemplo, libros περὶ πολιτειῶν, civitatum graecarum et exterarum, earumque institutorum atque legum descriptionem historicam continentes, composuit, sed ut philosophus ex schola, in rebus gerendis minime versatus. V. Diog. Laërt. 5, 86 sqq.; de legg. 3, 5. — *consularis*, quem oratio de hisce rebus deceret. — *oratorium.* Vett. codd. editt. *oratorum.* — *illis nost. libris;* tribus de oratore. —

quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem: Aristotelem denique, quae de re publica et praestante viro
2. scribat, ipsum loqui. Commovit me, et eo magis, quod maximos motus nostrae civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc et id vitabo et loquar ipse tecum; et tamen illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim te existimaturum a me illos libros non sine
3. aliquo meo stomacho esse relictos. Caesaris amore, quem ad me perscripsit, unice delector: promissis iis, quae ostendit, non valde pendeo: nec sitio honores nec desidero gloriam: magisque eius voluntatis perpetuitatem, quam promissorum exitum exspecto. Vivo tamen in ea ambitione et labore, tamquam id, quod
4. non postulo, exspectem. Quod me de versibus faciendis rogas, incredibile est, mi frater, quam egeam

belle = apte, iure, merito, ne viderer mihi perfectam dicendi rationem arrogare. — *a me removisse* = ore meo non protulisse. — *quos ipse vidissem* atque saepe dicentes audissem: Crassum, Antonium, Scaevolam, Catulum, Caesarem, Cottam, Sulpicium, quibus in libris de oratore attribuit sermonem. Ex his vero, quos in libris de republica loquentes facit, nonnisi Scaevolam puer cognovit. V. de amic. 1 pr. — *ipsum loqui*, ore suo proferre.

§. 2. *Commovit me.* Suum tamen Ciceronem institutum persecutum esse ex fragmentis nostris temporibus repertis et ex somnio Scipionis apparet. — *inferiores* i. e. posterioris temporis. — *id ipsum ... eram secutus* = hoc meum propositum s. institutum erat. — *offenderem* attingendo maximos motus nostrae civitatis. — *loquar ipse tecum*, me ipsum tecum de republica loquentem inducam; quod tamen non fecit. — *illa, quae institueram*, duos, quos coeperam scribere, libros. V. §. 1. — *Romam venero* ex Tusculano. — *non sine aliq. meo stomacho*, quod iam coeptum opus non libenter imperfectum abiecerit atque omiserit.

§. 3. *pendeo promissis* (= ex s. a promissis) i. e. commoveor promissis, curo ea. — *sitio* = vehementer cupio, expeto. — *voluntatis* = benevolentiae, amoris. — *in ea ambitione*, nil earum rerum, quae ad honores parandos valent, praetermittens, omnibus inserviens.

§. 4. *de vers. fac.* V. §. 4. epist. anteced. —

tempore: nec sane satis commoveor animo ad ea, quae vis, canenda. Ὑποθέσεις vero ad ea, quae ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omnes isto eloquendi et exprimendi genere superasti, a me petis? Facerem tamen, ut possem: sed, quod te minime fugit, opus est ad poëma quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt. Abduco me equidem ab omni rei publicae cura dedoque literis: sed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum volebam. Angor, mi suavissime frater, angor nullam esse rem publicam, nulla iudicia nostrumque hoc tempus aetatis, quod in illa auctoritate senatoria florere debebat, aut forensi labore iactari aut domesticis literis sustentari; illud vero, quod a puero adamaram,

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,

totum occidisse: inimicos a me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos: meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum: unumque ex omnibus Caesarem esse inventum, qui me tantum, quantum ego vellem, amaret, aut etiam, sicut alii putant, hunc unum esse, qui vellet. Quorum tamen nihil est

nec satis commoveor animo, idem est, quod l. c. dixit: *abest ἐνθουσιασμός*. — *canenda*, quod proprium poetarum animo commotorum est. — ὑποθέσεις, argumenta poëmatis s. materiam. Cf. l. 2. ep. 16. §. 4. — *isto . . . genere*, versibus faciendis. Cf. ep. anteced. §. 4. *istius generis in scribendo*. — *superasti*. V. supra de Erigone Quinti nostri ep. 1. h. l. §. 13. coll. infra §. 7. de *quatuor tragoediis*. — *anim. alacritate*, ἐνθουσιασμῷ. — *te celatum volebam*. V. Zumpt. §. 391 et 610. — *auctoritate senatoria flor. debebat*, quum ob magistratus gestos remque publicam a me administratam, in senatu me sententiam dicere graviterque agere aequum esset. — *debebat*. V. Zumpt. §. 518. — *forensi labore*, causis agendis — *iactari*, exerceri, vexari. — *domesticis*, quas domi tracto. — *sustentari*, quasi afflictum calamitate reipublicae. — *Αἰὲν . . . ἄλλων* i. e. semper fortiter agere et aliis superiorem esse. Versus apud Hom. Iliad. 6, 208; 11, 784. — *occidisse*, omnino non fieri. — *non oppugnatos*, ut Gabinium Pompeii causa; cf. supra ep. 1. h. l. §. 15 extr. — *defensos*, ut Vatinium propter Caesarem. V. ad div. 1, 9. §. 4 sqq. supra l. 2. ep. 16. §. 3. — *qui vellet*. Manutius ad sensum huius loci duriusculi explicandum haecce adnotavit: »Quasi unus Caesar non alicuius commodi spe, sed vere atque ex animo planeque sua sponte amaret; alii simulate et astute, quod de Pompeio creditum

eiusmodi, ut ego me non multa consolatione quotidie leniam: sed illa erit consolatio maxima, si una erimus. Nunc ad illa vel gravissimum accedit desiderium tui.
5. Gabinium si, ut Pansa putat oportuisse, defendissem, concidissem: qui illum oderunt — ii sunt toti ordines — propter quem oderunt, me ipsum odisse coepissent. Tenui me, ut puto, egregie, tantum ut facerem, quantum omnes viderent. Et in omni summa, ut mones,
6. valde me ad otium pacemque converto. De libris, Tyrannio est cessator: Chrysippo dicam: sed res operosa est et hominis perdiligentis. Sentio ipse, qui in summo studio nihil assequor. De Latinis vero, quo me vertam, nescio: ita mendose et scribuntur et veneunt: sed tamen quod fieri poterit, non negligam. Crebrius, ut ante ad te scripsi, Romae est: et qui omnia adiu-

est, (ideo dixit: *sicut alii putant)* qui Ciceronem, quem contra datam fidem pelli passus erat, ideo revocavit ab exilio, ut eius opera cum senatu rediret in gratiam.« — *multa consolatione,* quum ex philosophia et literis, tum ex amicorum consuetudine petita. — *des. tui* absentis.

§. 5. C. Vibius *Pansa,* qui consul fuit cum Hirtio, anno post Caesaris necem proximo. De Gabinio defendendo fortasse locutus erat cum Quinto in exercitu Caesaris. — *defendissem.* Cf. §. 2 sq. ep. praeced. — *concidissem,* gratiam bonorum multis praeclare factis collectam hac una re perdidissem. — *toti ordines,* omnium ordinum omnes homines. Supra ep. 3. h. l. §. 3: *odio premitur omnium generum;* ep. 1. §. 24: *odio universi populi paene afflictus est.* — *propter quem oderunt.* Wieland. his vv. Pompeium tecte significari putat; Billerbeck explicat: *propter* eum, *quem oderunt,* nempe Gabinium. Rectius haec ad ipsum Ciceronem refert Manutius et interpretatur: »qui me simul cum republica crudelissime ab illo consule vexatum recordantur.« — *quantum omnes viderent* sc. me fecisse vel potius mihi faciendum fuisse; nimirum testimonium dixi: praeterea quievi. V. ep. 4, §. 3; infra ep. 9 init. — *me ad otium pacemque converto,* inimicitias contentionesque fugio.

§. 6. *De libris.* V. ep. anteced. §. 5. — *cessator,* segniter agit in libris describendis. — *nihil assequor,* multo minus librorum quam vellem. — *mendose scrib.* Quod quum Ciceronis temporo ita esset, mirum non est, librarios postea mendosius etiam descripsisse codices, qui aetatem tulerunt. — *Crebrius.* Alii *Cerbrius,* quod nomen alibi non legitur. — *scripsi,* quae epistola non exstat. — *et qui omnia adiurant,* iusiurandum ad asseverationem adiungunt, *debere tibi valde renuntiant* mihi dum in villis sum. Fortasse Crebrius hic negotiator a Quinto in Gallia beneficia acceperat. Schütz. coniecit: *et quidem omnia se iurat debere tibi; valere te nuntiat* sc. Crebrius

rant, debere tibi valde renuntiant. Ab aerario puto confectum esse, dum absum. Quattuor tragoedias XVI. diebus absolvisse quum scribas, tu quidquam ab alio mutuaris? et χρέος quaeris, quum Electram et Troadem scripseris? Cessator esse noli: et illud γνῶθι σεαυτόν noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus. Sed et istas et Erigonam mihi velim mittas. Habes ad duas epistolas proximas. 7.

EPISTOLA VII.

Scripta in Tusculano, exeunte m. Novembr. A. U. C. 700 (a. Ch. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Magnam Romae proluviem fuisse narrat 1; se, si Romam redierit, ad fratrem scripturum, epistolasque ad Labienum et Ligurium missurum scribit 2.

a te Romam veniens; vel: *et qui omnia se iurat debere tibi, valde renuntiat* h. e. recusat pecuniam credendam. De re pecuniaria agi, ex iis, quae statim sequuntur, colligas. — *Ab aerario.* V. ep. antec. §. 6: *de fisco quid egerit Scipio, quaeram.*

§ 7. Recte hanc paragraphum, quae vulgo epistolam 6 constituebat, cum quinta coniunxerunt Schütz., Lünem., Bentivogl. Ciceronem enim duas a fratre accepisse epistolas, et ad priorem §. 1—6, ad posteriorem hac paragrapho respondisse, patet ex postremis verbis: *Habes ad duas epistolas proximas.* — *ab alio,* a me sc., quem de versibus tibi scribendis saepe rogas. — *absolvisse.* Lambin. *absolvisse te.* V. Zumpt. §. 605. — χρέος i. e. pecuniam mutuo sumtam, mutuum. Alii κλέος, quod Manutius explicat: »laudem aliunde quaeris, quum in te ipso sit, unde illam pares?« — *Troadem.* Schütz. coniecit *Troades.* — *ut bona nostra norimus,* ut animi dotibus, quas habemus, utamur. Sic Socrates apud Xenoph. Memor. 3, 7. (coll. 4, 2, 24.) illam templi Delphici inscriptionem explicat. Cf. ad Q. Cic. de pet. cons. §. 55. — *istas,* Electram et Troadem. — *Erigonam,* quam a Quinto ante missum (v. ep. 1. h. l. §. 13.) tabellarius amiserat. V. infra ep. 9, 6. — *Habes* = haec sunt, quae tibi rescribenda habebam, vel quod infra ep. 9 extr. dicit: *rescripsi ad omnia.* Cf. h. l. ep. 1. §. 6: *Habes fere de rebus rusticis;* ep. 2 extr.: *Habes forensia;* ep. 3. §. 4: *Habes fere de omnibus rebus.* — *ad* recepit Ernest. ex coniectura Ursini; Manutium hoc provocabulum non legisse, patet ex nota apposita ad v. *proximas,* quae sic habet: hanc brevem et proximam superiorem, utramque in eundem fasciculum coniectas.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Romae et maxime Appia ad Martis mira alluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae: magna vis aquae usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri:

Ἦματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ,
Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,

Cadit enim in absolutionem Gabinii:

Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

2. Sed haec non curare decrevi. Romam quum venero, quae perspexero, scribam ad te et maxime de dictatura: et ad Labienum et ad Ligurium literas dabo. Hanc scripsi ante lucem ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat periucundus, quod eum te aiebant, quum esses Sami, curasse faciendum. Vale, mi suavissime et optime frater.

§. 1. *Appia* via *ad Martis* templum. — *alluvies* dedit Orellius secutus Victorium pro vulg. *proluvies.* — *Crassiped. ambulatio,* hypaethria (v. Vitruv. 5, 9; 6, 5. supra ep. h. l. 1, 1.) in eius hortis ad Tiberim. V. ad Att. 4, 12. — *piscinam publicam,* quam P. Victorem collocare in regione XII monet Manut. *Publica appellatur,* ut ab aliis multis, quas privati Romae habebant (v. infra ep. 9, 7.), distinguatur. Ad hanc et natatum et exercitationis causa populus veniebat. — *Viget illud Homeri* i. e. accidit omnino quod Homerus Iliad. 16, 385 sqq. dicit; Iupiter enim, iratus Romanis ob Gabinium contra leges absolutum, hanc alluviem immisisse videtur. — λαβρότατον ὕδ., abundantissimam aquam. — οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίν. θέμ. κ. τ. λ. qui per vim in foro obliquas (i. e. iniustas) pronuntiant sententias, iustitiam autem expellunt, deorum iram s. ultionem haud curantes. — Graecos versus post Victorium sic ordinavit Orell., quum verba ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ vulgo post illa: *Cadit enim in absol. Gabinii* demum sequantur. — *haec,* quae fiunt in republica iniuste.

§. 2. *de dictatura,* ad quam res publica ob discordias civium spectare videbatur. V supra ad ep. 4. h. l. §. 1. — T. Atium *Labienum,* Caesaris in Gallia legatum, qui postea bello civili ad Pompeii partes transiit. V. ad div. 16, 12. 2, 32. — A. *Ligurium,* Caesaris familiarem. V. ad Att. 11, 9; ad div. 16, 18: *A. Ligurius, Caesaris familiaris, mortuus est, bonus homo, et nobis amicus.* — *literas dabo.* Videtur Quintus a Marco petiisse, ut horum familiarissimorum Caesaris amicitiam literis foveret. — *lychnuchum,* λυχνοῦχον, lucernae sustentaculum, candelabrum, de quo v. Casaub. ad Suet. Caes. 37. — *aiebant* sc. servi mei. — *Sami;* quum Asiam propraetore administrans Samum, quae ad provinciam Asiam pertinebat, venisses. V. supra ep. 1, 1, 25.

EPISTOLA VIII.

Scripta Romae, exeunte m. Novemb. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. Hortatur fratrem, ut militiae labores et cetera, quae ipsum offendant, perferat 1; deinde de cautione in literis dandis adhibenda 2; de poëmate ad Caesarem perficiendo, de spe candidatorum consulatus et dictaturae metu 3—4; de Serrani filii funere 5; de Milonis ludorum apparatu scribit 6.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. Superiori epistolae quod respondeam, nihil est: quae plena stomachi et querelarum est; quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse; qui adhuc non venerat. Delevit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tantum te et moneo et rogo, ut in istis molestiis et laboribus et desideriis recordere, consilium nostrum quod fuerit profectionis tuae. Non enim commoda quaedam sequebamur parva ac mediocria. Quid enim erat, quod discessu nostro emendum putaremus? Praesidium firmissimum petebamus ex optimi et potentissimi viri benevolentia ad omnem statum nostrae dignitatis. Plura ponuntur in spe, quam in pecuniis: reliqua ad iacturam struentur. Quare si crebro

§. 1. *stomach. et querel.* ex militiae laboribus, ex urbis desiderio, ex periculo, in quo his temporibus Ambiorigis fraude versatus est. V. Caes. B. G. 5, 24 sqq. 43. — *Labieno.* V. ep. praec. §. 2. — *Delevit enim* cet. Haec vv. pendent a supp. *quod respondeam nihil est.* — *molestiis* animi. — *laboribus* corporis. — *desideriis* urbis et tuorum. — *profect. tuae* ad Caesarem. — *sequebamur* = consequi volebamus, petebamus, ut statim dicit. — *discessu nostro,* quum alter ab altero discederemus, disiunctione nostra. — *emendum.* Lamb. *merendum.* — *opt. et pot. viri,* Caesaris. — *in spe* praesidii firmissimi. Schütz. suspicatus est: *in ista spe.* — *in pecuniis* colligendis in tua legatione. — *reliqua,* emolumenta, ut pecuniarum. — *ad iacturam struentur* sic tibi parabis, ut facile posse amitti tibi persuadeas indeque iacturam eorum, si acciderit, aequo animo feras. Pro *struentur,* in codd. edittque legitur: *reserventur,* de qua varietate Orellius adnotavit: »Utraque lectio ex manifesta est interpolatione, cuiusmodi longe pauciores reperiuntur in his

referes animum tuum ad rationem et veteris consilii nostri et spei, facilius istos militiae labores ceteraque, quae te offendunt, feres: et tamen, quum voles, depones. Sed eius rei maturitas nequedum venit et ta-
2. men iam appropinquat. Etiam illud te admoneo, ne quid ullis literis committas, quod si prolatum sit, moleste feramus. Multa sunt, quae ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior. Plura ad te vacuo animo scribam, quum, ut spero, se Cicero meus belle habebit. Tu velim cures, ut sciam, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde literas mittemus: Caesarisne tabellariis, ut is ad te protinus mittat, an Labieni; ubi enim isti sint Nervii et quam longe ab-
3. sint, nescio. De virtute et gravitate Caesaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi voluptatem. Quod me institutum ad illum poëma iubes perficere; etsi distentus quum opera, tum animo sum multo magis, tamen quoniam ex epistola, quam ad te miseram, cognovit Caesar me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum; idque perficiam his supplicationum otiosis diebus: quibus Messalam iam no-

Epp. ad Q. fr., quam in Epp. ad Fam. Omnino sanissimus est hic locus, et ante omnia illa *ad iacturam struentur* rectam redolent Latinitatem.« — *referes animum tuum ad rationem* = cogitabis de ratione. — *depones* haec onera, in urbem redire tibi licebit. — *eius rei maturit.*, opportunum decessus s. reditus tui tempus.

§. 2. *prolatum*, divulgatum. Quintus aliquid scripsisse videtur in superiore illa epistola, quod Caesar, si nosset, moleste ferre potuerit. — *periculo* nostro. — *vacuo anim.* sc. curis. — *belle habebit*, bonam valetudinem recuperabit. — *Labieni.* Alii *Labieno*, quam lectionem v. *quibus (nos dare oporteat)* refelli monet Orell. — *Nervii* Galliae populi, in regione quae hodie Hennegau vocatur, apud quos Quintus tunc hibernabat. V. Caes. l. c. — *dictatoris.* V. supra ad ep. 4. h. l. §. 1.

§. 3. *in summo dolore* ob mortem Iuliae filiae, quinque annis ante Pompeio collocatae. Cf. supra ad h. l. ep. 1. §. 17. Manutius de legatis cum legione et cohortibus caesis intelligit. V. Caes. l. c. 87. — *inst. ad illum poëma* de rebus a Caesare in Gallia et Britannia gestis. V. ad l. 2. ep. 15 a §. 2. — *distentus*, districtus, impeditus. — *supplicationum*, dierum XX, Caesari a senatu ob res bene in Britannia gestas decretorum. V. Caes. B. G. IV. extr. Dio Cass. 39, 53. — *otiosis.* Per dies enim supplicationum lege non ageba-

strum reliquosque molestia levatos vehementer gaudeo,
eumque quod certum consulem cum Domitio numeratis,
nihil a nostra opinione dissentitis. Ego Messalam Cae-
sari praestabo. Sed Memmius in adventu Caesaris ha-
bet spem; in quo illum puto errare: hic quidem friget.
Scaurum autem iampridem Pompeius abiecit. Res pro- 4.
latae: ad interregnum comitia adducta. Rumor dicta-
toris iniucundus bonis: mihi etiam magis, quae loquun-
tur. Sed tota res et timetur et refrigescit. Pompeius
plane se negat velle: antea ipse mihi non negabat.
Hirrus auctor fore videtur. O dii, quam ineptus!
quam se ipse amans sine rivali! Crassum Iunianum,

tur. Ita otium illi a forensi labore futurum erat. Ne cum populo quidem tum potuisse agi, indicat supra ep. 6. l. 2. § 4: *Dies comitiales exemit omnes* (Lentulus): *nam etium Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes.* — *reliquosque* consulatus candidatos; v. ep. 2. h. l. §. 3. — *molestia,* ambitus iudicio, *levatos,* liberatos. Significat his vv., iudicia, quae iis impendebant, propter supplicationes aliosque dies festos mense Decembri sequentes, dilata fuisse. V. *levatos* igitur non de absolutione cum Manutio accipiendum, quum propter iustitium ne accusari quidem potuerint. — *certum consulem.* Cf. supra h. l. ep. 2. §. 3: *Domitius cum Messala certus esse videbatur.* — *praestabo,* eum consulem futurum spondeo, licet Pompeius ei obsit. V. ad Att. 4, 15, 7. Manutius tamen explicat: »efficiam, si erit consul, ne quid agat in magistratu contra Caesaris voluntatem.« — *in adventu Caes.* V. supra ad ep. h. l. 2. §. 3. — *ill. puto errare.* Cf. ad Att. 4, 16, 6. Manutius ad h. l.: »fortasse quia Caesar Consulem nolet eum, quem sibi fuisse inimicum in praetura meminerit.« V. Suet. Caes. 23. et eund. Manut. ad ep. ad div. 13, 1. — *friget.* V. ad §. 3. ep. 2. h. l. — *abiecit,* quem adiuvandum susceperat, cui studebat. V. ad Att. 4, 15, 7: *Pompeius ... Scauro studet.*

§. 4. *res prolatae* i. e. negotia, comitia dilata; locutio solennis de eo tempore, quo feriari hominibus licebat. V. ad Att. 14, 5: *ante res prolatas;* 7, 12: *rerum prolatio,* ad quem locum cf. Manut. — *ad interregn.* V. supra h. l. ep. 3. §. 2; ep. 2. §. 3. — *adducta* videntur; sed affirmat Cicero id, quod omnino futurum putat. — *iniucund. bonis* ob Sullanae crudelitatis recordationem. — *magis* iniucunda sunt ea, *quae loquuntur* de futuro dictatore Pompeio. — *refrigescit.* V. ad 2, 6, 5. — *se negat velle* dictatorem fieri. — C. *Hirrus* Lucceiae gentis plebeiae, designatus tum temporis tribunus pl., qui secutus est Pompeium bello civili contra Caesarem. V. Caes B. C. 1, 15. Cic. ad div. 8, 2; ep. seq. §. 3. — *auctor* dictaturae promovendae et dicendi Pompeii dictatoris *fore videtur,* quum inierit tribunatum pl., cuius erat primus dies IV id. Decemb. — *sine rivali,* proverbiali schemate et satirice ponitur, quum *rivalis* alias de amoribus dicatur. Cf. Hor. A. P. 444 et Doederl. Synonym. P. 3. p. 60. — *Crassum Iunianum,* gentis Iuniae a Crasso quodam

**hominem mihi deditum, per me deterruit. Velit nolit,
scire difficile est. Hirro tamen agente, nolle se non
probabit. Aliud hoc tempore de republica nihil loque-
5. bantur: agebatur quidem certe nihil. Serrani Dome-
stici filii funus perluctuosum fuit a. d. IIX. Kalend.
Decemb. Laudavit pater scripto meo. Nunc de Mi-
6. lone. Pompeius ei nihil tribuit, et omnia Guttae: di-
citque se perfecturum, ut [in] illo Caesar incumbat.
Hoc horret Milo: nec iniuria: et, si ille dictator fac-
tus sit, paene diffidit. Intercessorem dictaturae si iu-
verit manu et praesidio suo, Pompeium metuit inimi-
cum: si non iuverit, timet, ne per vim perferatur.**

adoptatum. Lambinus de Manutii coniectura edidit: *Licinianum*, quod ipse postea improbavit. — *per me deterruit* sc. Pompeius, qui mea opera effecit, ut captum consilium adiuvandi Hirrum in promulganda lege de dictatura Pompeii Crassus abiecerit. — *velit nolit.* V. Zumpt. §. 782. — *scire diff. est.* Solebat enim Pompeius aliud loqui, aliud sentire, ut dicit ad div. 8, 1, 3. coll. ad Att. §, 9; 15. §. 7. — *agente* ad populum. V. ep. seq. §. 3: *Hirrus parat.* — *non probabit*, non persuadebit, quum per eius amicum agatur.

§. 5. *Serrani* gentis Atiliae. V. Ern. cl. Cic. ind. hist. — *laudavit*, laudationem funebrem habuit, de quo more v. Cic. Sen. 4. Plut. Fab. 24. Cic. Brut. 16. Polyb. 6, 50—53. Dionys. Hal. p. 291 ed. Franc. Lips. Cic. de legg. 2, 24. de orat. 2, 84. Liv. 8, 40. Hanc mortuos laudandi consuetudinem ex eo natam esse, quod Valerius Poplicola Brutum collegam in concione laudavit, ex Plutarcho et Dionysio discimus. Simile Atheniensium institutum et Periclis laudatio ex Thucydide et Platonis Menexeno constat. — *scripto meo* oratione, quam ei de laudibus filii scripseram.

§. 6. *de Milone* consulatum petituro a. u. 702. Petiit etiam, quamquam nondum praetor fuerat; sed propter dissensiones candidatorum comitia non esse habita, Asconius Pedianus tradit. — *ei nihil tribuit* i. e. minime illi studet, eum adiuvat. — *et* (= sed) *omnia Guttae.* Ern. susp. *at omnia G.* De hoc Gutta aliunde nil constat. Pro Cluent. 26; 36; 45. *T. Gutta*, senator Rom. memoratur, de ambitu reus et notatus a censoribus propter iudicium, in quo pecuniam cepisse putabatur. Fortasse *Cottae* legendum, et L. aut M. Cotta intelligendus, de quibus v. Ern. ind. hist. Asconius. Pedianus tamen P. Plautium Hypsaeum et Q. Caecilium Metellum Scipionem, Pompeii socerum, plebeios, Milonis competitores nominat. — *[in] illo.* Lambin. *in illum;* sed rectius, monente Orellio, Ern. censuit *in* delendum esse, ut *illo* sit i. q. illuc s. in eam partem, nimirum ut Guttam ad consulatum efferat. — *diffidit*, spem consulatus adipiscendi abiicit. — *intercessorem*, tribunum pl. (puta Q. Mucium Scaevolam, optimatium partium defensorem) rogationi Hirri de dictatore dicendo, intercedentem. — *manu*, copiis suis. — *Pompeium inimicum* = Pompeii inimicitiam. — *per vim* spreta interces-

Ludos apparat magnificentissimos: sic, inquam, ut nemo sumptuosiores: stulte bis terque, non postulatos: vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magister, vel quia potuerat magistrum se, non aedilem putare. Omnia fere scripsi. Cura, mi carissime frater, ut valeas.

EPISTOLA IX.

Scripta Romae, initio m. Decembr. A. U. C. 700 (a. Chr. 54) iisdem consulibus.

Argumentum. De Gabinio a se non defenso 1; de Milonis in ludis instituendis profusione 1; de motibus venientis anni 3; de mancipiis a Quinto sibi emendis 4; de epistola Vatinii 5; de poëmate ad Caesarem absoluto 6; de Quinti aedificiis 7; de Felicis testamento 8; de Quinti filio 9.

sione, quod ante, quo anno C. Caesar, quo Pompeius consul fuit, evenerat. Quod si vim vi repellet Milo, valebit intercessio. *Manut.* — *perferatur* lex de dictatura a sectatoribus Pompeii. — *Ludos,* quibus mortuum aliquem in magistratu aedilem, cuius hereditatem testamento sibi legatam acceperat, se honorare simulabat, revera autem vulgi favorem suffragiaque captabat. V. ad div. 2, 6, 3: *vulgi ac multitudinis* (studium habemus) *propter magnificentiam munerum liberalitatemque naturae.* — *sumptuosiores.* Cf. ep seq. §. 2. Tria sua patrimonia in hos ludos profudisse dicit Cicero Milon. 35. et Ascon. ad h. l. — *bis terque* = valde, eximie, magnopere, ut apud Virg. Aen. 1, 94: *o terque quaterque beati;* Hor. od. 1, 13, 17: *felices ter et amplius.* Cf. Bentl. ad Hor. Ep. 5, 33. Art. Poet. 358. Argutius igitur est, quod Manut. ad *terque* subiicit, »ut fortasse trinos in ludos tria illa patrimonia, in singulos singula profuderit.« —*non postulatos.* Sic Ern. suspicatus est habetque margo Cratand. Vulgo: *non postulatus.* A solis magistratibus ludi postulari (v. ad div. 9, 8 init.) poterant; Milo autem, quem praetorem hoc anno fuisse ex hoc loco male concludit Pighius, magistratus non erat; sed sponte ut heres ludos dedit. — *munus* gladiatorium. — *dederat* aedilis a. u. 699. — *vel quia magister* hereditatis inter coheredes curandae, non aedilis erat (v. Cic. off. 2, 16, 57), ludis omnino abstinere poterat. Schütz. tria haec verba uncis inclusit; absque necessitate. — *vel quia pot. magist. se, non aedilem put.* i. e. quia, etiamsi heres esset aedilis in magistratu mortui, et sic quodammodo se putaret in eius locum successisse ludosque dare debere, non tamen ab eo exspectari poterat munus *tam sumptuosum,* ac si *ipse* aedilis fuisset, qui revera non erat.

MARCUS Q. FRATRI S.

1. De Gabinio, nihil fuit faciendum isterum, quae
amantissime cogitata sunt. Τότε μοι χάνοι. Feci sum-
ma cum gravitate, ut omnes sentiunt, et summa cum
lenitate, quae feci: illum neque ursi neque levavi. Te-
stis vehemens fui: praeterea quievi. Exitum iudicii
foedum et perniciosum levissime tuli. Quod quidem
bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis rei
publicae licentiaque audacium, qua ante rumpebar, nunc
ne movear quidem; nihil est enim perditius his homi-
2. nibus, his temporibus. Itaque, ex re publica quoniam
nihil iam voluptatis capi potest, cur stomacher, nescio.
Literae me et studia nostra et otium villaeque delec-
tant maximeque pueri nostri. Angit unus Milo. Sed
velim finem afferat consulatus: in quo enitar non mi-
nus, quam sum enisus in nostro: tuque istinc, quod
facis, adiuvabis. De quo, cetera, nisi plane vis eri-
puerit, recte sunt: de re familiari timeo.

§. 1. *de Gabinio* defendendo. Cf. supra h. l. ep. 1. §. 15 extr.; ep. 2. §. 2; ep. 3. §. 3 extr.; ep. 4. §. 3; ep. 5. §. 5 sq. — *amantiss. cogit. sunt* sc. a te. Scripserat fortasse Quintus debuisse Marcum Pompeii et Caesaris causa Gabinium de maiestate defendere. — Τότε μοι χάνοι (εὐρεῖα χθών) i. e. tunc mihi dehiscat (lata terra), quum hoc flagitii commisero. Integrum hemistichium est apud Hom. Il. 4, 182. — *neque ursi neque levavi* i. e. neque accusavi neque defendi. — *test. veh.* v. supra ep. 4. §. 3. — *exit. iudicii,* absolutionem Gabinii. — *levissime.* Nonnulli apud Orell. vett. editt. habent: *lenissime.* Sic supra ep. 3, 3. de eadem re: *animum praebeo . . . ad rerum eventum lenissimum.* — *bonum,* aequum in malis reipublicae leviter ferendis animum. — *rumpebar* = macerabar, affligebar, defatigabar.

§. 2. *cur stomacher,* cur irascar ob ea quae iniusta fiunt, quum res publica iam plane nulla sit. — *otium villaeque;* Hendiadys pro: otium quo in villis fruor. — *Angit* me *unus Milo,* quod in petitione consulatus contrarium habebit Pompeium, quocum noluit Cicero pugnare. V. supra ep. h. l. 2. §. 2: *satis est quod instat de Milone;* ep. antec. §. 6. — *finem* sollicitudinis meae. Sensus: Utinam, postquam consul factus est, nihil accidat, quod illius causa me angat. — *in quo,* ut Milo consul fiat. — *quam sum enisus in nostro* i. e. quam elaboravi, ut ipse fierem consul. Cf. omnino ep. Cic. ad Curionem, ad div. 2, 6, 3 sqq. — *istinc,* apud Caesarem et exercitum eius, ut suffragentur. — *De quo,* consulatu. — *cetera . . . recte sunt,* spem afferunt fore quod volumus. — *eripuerit,* pro quo, ut Orell. monet, nescio quis coniecit: *eruperit.* — *de re fam.* Milonis. — *timeo* ne ad inopiam redigatur. Cf. Plin. H. N. 36, 15:

Ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς·
qui ludos HS c. compararet. Cuius in hoc uno inconsiderantiam et ego sustinebo, ut potero, et tu ut possis, est tuorum nervorum. De motu temporum venien- 3.
tis anni, nihil te intelligere volueram domestici timoris, sed de communi rei publicae statu: in quo etiam si nihil procuro, tamen nihil curare vix possum. Quam autem te velim cautum esse in scribendo, ex hoc coniicito, quod ego ad te ne haec quidem scribo, quae palam in re publica turbantur, ne cuiusquam animum meae literae interceptae offendant. Quare domestica cura te levatum volo: in re publica scio quam sollicitus esse soleas. Video Messalam nostrum consulem, si per interregem, sine iudicio: si per dictatorem, ta-

»Itaque et ipsum Milonem HS septuaginta millia aeris alieni debuisse inter prodigia humani animi iudico.« — ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς = hic autem sic insanit, ut ferri amplius non possit. Finis hexametri ex Homer. Odyss. 9, 350, ubi quod Ulysses Cyclopi Polyphemo dicit: σὺ δὲ μαίνεαι οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς, Cicero paululum immutatum hic de Milone adhibet. V. μαίνεσθαι, ut lat. *insanire*, de eo quoque dicitur, quod modum superat; ita etiam *insanus* aliquando est *nimius, immensus*. V. Heind. ad Hor. sat. 2, 2, 5. — *H. S. c.* = ccccIↃↃↃ sive centies centena millia sestertium. Sic cum Lambino Schütz. dedit pro vulg. H.S. ccc = tricenties centena millia sestertium. V. ep. super. §. 6. — *qui* i. e. quum is, quippe qui *compararet*. — *inconsiderantiam*. Ita de Manut. coniectura ediderunt Lamb., Ern. Schütz. Lünem. Satis defenditur, ut Orell. monet, h. v. ex Suet. Claud. 39. *oblivionem et inconsiderantiam, vel ut graece dicam, μετεωρίαν et ἀβλεψίαν.* Si tamen quis dubitet, an iam Ciceroni tribui possit istud vocabulum, is arbitretur a gloss. expulsum esse illud ipsum graecum voc. μετεωρίαν. Olim contra sensum legebatur *considerantiam*. — *sustinebo* = feram. Billerbeck. explicat: »sublevabo, nempe pecunia credenda: vel inhibebo, ut Milo a nimia pecuniae profusione abstrahatur«; minus, ut videtur, commode — *est tuorum nervorum* i. e. animi tui vires ae robur faciunt s. postulant.

§. 3. *venientis anni.* Cf. supra ep. 4. §. 4: *Non enim sumus omnino sine cura venientis anni, etsi sumus sine timore.* — *nihil te intell. vol. dom. tim.* i. e. nolueram te interpretari de timore meo circa res nostras domesticas. — *procuro* = avertere possum, quo sensu alibi de procurandis portentis h. v. legitur. — *nihil curare*, sine cura esse, haud sollicitum esse. — *cautum esse in scribendo.* V. epist. super. §. 2. — *quae palam ... turbantur* = turbas s. motus manifestos, notissimos. — *Video Mess. nostr. cons.* V. ep. super. §. 3. — *si per interregnum*, i. e. si, habitis ab interrege (v. ep. anteced. §. 4.) comitiis, consul creabitur, *sine iudicio*, accusari de ambitu (v. ep. 2, 3) non poterit, quum statim consulatum sit initu-

men sine periculo. Odii nihil habet. Hortensii calor multum valebit. Gabinii absolutio lex impunitatis putatur. Ἐν παρέργῳ· de dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompeius abest: Appius miscet: Hirrus parat: multi intercessores numerantur: populus non cu-
4. rat; principes nolunt: ego quiesco. De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo: et sum equidem, uti scribis, et Romae et in praediis infrequens. Sed cave, amabo, quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo et maxima tua facultate, mi

rus et magistratus accusari nequeat. Quod vere accidit; nam Messala post plura interregna mense Quinctili a. u. 701 tandem cum Domitio consule creato, iudicium de eo factum non est; peracto autem consulatu a. u. 702 bis de ambitu accusatus est, et primo defendente Hortensio absolutus, deinde lege Licinia condemnatus. V. ad Att. 5, 12, 2. ad div. 8, 2, 1; 4, 1. Cf. Henr. Guil. Tydemanni dissert. de rebus iudicatis non rescindendis. Lugd. Bat. 1799. c. XI. — *si per dictatorem*, si, habitis a dictatore comitiis, consul creabitur, dictator quidem pro summa sua potestate vetare poterit eum ante factum iudicium inire consulatum, *tamen sine periculo*, tamen non dubito quin absolvatur; nam *odii nihil habet*, nemini eum invisum esse video. — *Hortensii*, fratris eius uterini, quod ex Plut. Sulla (c. 35) coniici dicit Manut. At vero secundum Val. Max. 5, 9, 2. Hortensii sororis filius Messala fuit. — *calor*, contentio pro absolutione, *multum valebit*, iuvabit Messalam, quem ab Hortensio defensum, et absolutum vide ex ep. Cael. ad div. 8, 2, 1. Cic. Brut. 96. — *lex impunitatis putatur*, exemplum praebet reis se posse impune contra leges peccare. Manut. monet, his verbis nocentem Messalam significari; satis enim constabat et ipsum et reliquos candidatos pecuniam contra leges populo dedisse. — Ἐν παρέργῳ = obiter, breviter, velut in cursu sit dictum. — *tamen*, quamvis actum iri rumor fuerit. — *abest* ab urbe rei frumentariae causa. Dio Cass. l. 39 extr.; aut quia cum imperio, iturus, ut videbatur, in Hispanias. V. supra h. l. ep. 4. §. 2. — *miscet* i. e. turbide agit, turbat. V. ep. 2. §. 3; ad Att. 4, 16, 12 extr. Noluit Appius dictatorem dici, sed comitia haberi; supra ep. 3. §. 2: *consules comitia haberi cupiunt*. — *parat*, ut, inito tribunatu pl., legem ferat de dictatura. V. ep. super. §. 4: *Hirrus auctor fore videtur*. — *intercessores*, tribuni pl., qui Hirro legem de dictatura ferenti intercessuri viderentur. V. ad §. 6. ep. praeced. *intercessorem si iuverit*. — *non curat*, sive dictator fiat, sive non fiat. — *Principes*, optimates, quos §. 4. ep. antec. *bonos* nominavit. — *nolunt* dictatorem dici.

§. 4. *De mancipiis* ad me mittendis, Gallico aut Britannico bello captis. — *valde te amo* = gratissimum mihi feceris. — *infrequens* = cum paucissimis mancipiis. — *amabo*. V. supra ad l. 1. ep. 4, 1. — *nisi maximo tuo commodo et max. tua facult*. i. e. nisi tibi commodissimum est et facultates tuae maxime permittunt. Cf. de hoc ablativo casu Zumpt. §. 472.

frater, cogitaris. De epistola Vatinii, risi. Sed me 5.
ab eo ita observari scio, ut eius ista odia non sorbeam
solum, sed etiam concoquam. Quod me hortaris, ut 6.
absolvam: habeo absolutum suave, mihi quidem uti vi-
detur, ἔπος ad Caesarem: sed quaero locupletem ta-
bellarium, ne accidat quod Erigonae tuae: cui soli,
Caesare imperatore, iter ex Gallia tutum non fuit.
** Quid? si caementum bonum non habeam, detur- 7.
bem aedificium? quod quidem mihi quotidie magis pla-
cet, in primisque inferior porticus et eius conclavia
fiunt recte. De Arcano, Caesaris opus est, vel me-
hercule etiam elegantioris alicuius. Imagines enim
istae et palaestra et piscina et nilus multorum Philoti-
morum est, non Diphilorum. Sed et ipsi ea adibimus

§. 5. *De epistola Vatinii* Roma ad Caesarem missa, de qua Quintus Marco scripserat. Cf. supra ep. 16. §. 3. l. 2. — *observari* i. e. aestimari, magni fieri. — *ista odia*, ut nimirum, quidquid diceret ageretve Cicero, Caesari tanquam explorator significaret. — *sorbeam* = devorem, perferam. Sic *devorare* usurpatur Cic. Phil. 6, 6. Brut. 67. — *concoquam*, prorsus minimi faciam, facillime feram. V. Liv. 4, 15.

§. 6. *absolvam* carmen ad Caesarem. V. ep. sup. §. 3. — *habeo absolutum* = absolvi. V. Zumpt. §. 634. — *locupletem* iocose pro: certum, qui iacturam praestare, cuique liber bene credi possit. — *Erigonae tuae* tragoediae. V. supra ep. 1. h. l. §. 13. — *Caesare imperatore*, quippe cuius imperio omnia sint tuta reddita. — *tutum non fuit*; nam missa a Quinto tabellarii culpa in itinere perierat. Venuste haec dicta sunt.

§. 7. ** *Quid?* Quum ad Quinti aedificium, de quo v. ep. 1. h. l. §. 14, nimis abrupta sit transitio, Lamb., Ern., Schütz. post Manutium recte suspicati sunt, ante v. *quid* nonnulla excidisse. — *habeam.* Sic iam Lamb. edidit, et correxerunt Ern. et Schütz. vulg. *haberem.* — *deturbem* = diruam, disiiciam. — *fiunt recte*, bene aedificantur. — *De Arcano* Quinti praedio. V. supra h. l. ep. 1, 1; ep. 3, 1. — *Caesaris opus est* i. e. maximum ac sumptuosissimum. De magnificentia Caesaris in aedificando, qui forum usque ad atrium libertatis explicare et in Campo Martio septa et tecta marmorea facere voluit, v. ad Att. 4, 16, 14. Ipsius Ciceronis nimios in aedificando sumtus quosdam moleste tulisse dicit ad Att. 4, 5, 2. — *elegantioris* = magnificentioris, splendidioris. — *imag. istae*, quas constitui postulas. — *nilus*, canalis, aquaeductus, quo in piscinam diversis partibus aqua deducebatur; quem sic dictum ait Manut., quod, ut Nilus ostiis septem profluit in mare, ita salientes illae, quasi parvus nilus, multis rivulis in piscinam perveniant. V. de legg. 2, 1; supra h. l. ep. 1. §. 1. — *multorum Philotimorum est, non Diphilorum* i. e. multorum hominum diligentium et expeditorum,

8. et mittemus et mandabimus. De Felicis testamento tum magis querare, si scias. Quas enim tabulas se putavit obsignare, † in quibus in unciis firmissimum tenuerat — lapsus est per errorem et suum et Sicurae servi — non obsignavit; quas noluit, eas obsignavit.
9. Ἀλλ' οἰμωζέτω· nos modo valeamus. Ciceronem et ut rogas amo et ut meretur et ut debeo. Dimitto autem a me, et ut a magistris ne abducam et quod mater [Pomponia] discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. Sed sumus una tamen valde multum. Re-

qualis Philotimus erat (v. ad ep. h. l. 1. §. 1. §. 6.), non negligentis et tardi, qualis Diphilus (v. supra h. l. ep. 1. §. 1 sq.) negotium est. — *mittemus et mandabimus* = mittemus mandata.

§. 8. *Felicis*, de quo nihil constat; cuius in testando errore Cicerones damnum fecisse videntur. — *si scias*, si illud noveris. — † *in quibus in unciis firmissimum tenuerat*. Locus corruptus. Schütz., auctore Lamb., pro *in unciis* edidit *de unciis*, quod eodem redit. Orell. ad h. l. monet: »collata ep. ad Att. 7, 2. et locis ibi a Gronovio allatis, facile videbis, hic quoque latere nescio quid de hereditate Ciceronibus vel ambobus vel alterutri a Felice destinata; ita ut ii vix *ex deunce* vel *ex teruncio* ab illo facti essent heredes.« Uti locus nunc est, sic explicandus videtur: *in quibus*, testamenti tabulis, *firmissimum tenuerat*, firmiter constituerat, *in unciis*, totam hereditatem *(as)* dividi in duodecim partes *(uncias)* inter coheredes. — *lapsus est errore*, erravit imprudentia. — *non obsignavit;* unde irritae erant; nam quae non essent testatoris anulo obsignatae, ratae non erant testamenti tabulae. — *quas noluit*, tabulas alias aliam in sententiam a se antea factas. — Ἀλλ' *οἰμωζέτω* = sed ploret! male ipsi sit! in malam abeat rem! Iubent Graeci *οἰμώζειν* eos, quibus mala precantur. — *modo* = dummodo. V. Zumpt. §. 572. — *valeamus*. Manut. ad h. l.: »Hoc significat, ad mortuum pertinere *ἀλλ' οἰμ*. Illi mortuo male sit, qui tam male suis consuluerit: nos valeamus.«

§. 9. *Ciceronem*, filium tuum. — *dimitto autem a me* i. e. patior eum ire cum matre, quum antea mecum habitaret. Cf. supra l. 2. ep. 4. §. 2: *Tyrannio docet apud me*. — *ut ... ne*. V. Zumpt. §. 347 not. — *magistris*, Tyrannione grammatico et Paeonio rhetore; v. ep. 3. h. l. §. 4. — *mater [Pomponia]*. Schütz. delevit nomen *Pomponia*, quod glossema esse iam Manutius suspicatus erat. Contra v. *mater* suspectum videtur Bentivoglio. — *sine qua*, qua absente. — *pueri*. Annum XIII egit eo, quo haec epistola scripta est, anno. Nam togam puram, quae anno aetatis XVI exacto sumi solebat, L. Aemilio Paullo et M. Claudio Marcello coss. i. e. a. u. 704 sumsit. V. ad Att. 5, 20, 9; 6, 1, 12. — *sumus una tamen*. Pomponia igitur non ex urbe exierat, sed ex illa domo Quinti, quae cum Marci domo iuncta erat (v. ad Att. 2, 4; 7.) in aliam Quinti

scripsi ad omnia. Mi suavissime et optime frater, vale.

domum transierat. Hic aedificari iusserat; v. supra l. 2. ep. 3, 7; 6, 2; l. 3. ep. 1, 6; 2 extr.; domum Licinianam conduxerat, aliam habebat in Carinis; v. l. 2. ep. 3, 7. — *Rescripsi . . . vale.* Sic exstat in editt. Manut. Lamb. Vict. *Rescripsi ad omnia, mi suavissime et optime frater*, omisso *Vale* exhibuerunt Ern. Schütz. Lünem.

ERRATA.

P. 16. in adnot. v. 5 ab imo lege: *in eorum imp.* dedit Orell. pro vulg. *eorum in imperio.*
— 45. v. 11. lege: *tunc.*
— 123. v. 5. — *tenui.*

Cetera, quae paucissima in adnotatione operarum culpa restant, menda lector intelligens facile corriget ipse.